
J. A. Diam-

Vallumbrosani Monasterii S. Gravedij Rome



4-A-35



THEATRVM
CONTRA
THEATRVM.



COMOEDIO-CRISIS

SIVE

THEATRI

CONTRA THEATRVM

CENSVRA

Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum
linguis, continuatis ab orbe condito
ſæculis, firmata.

Authore HIERONYMO FIORENTINO
Lucenſi, Congregationis MATRIS DEI
Clerico Regulari.





LVGDVNI,
Ex Officina ANISSONIANA.

M. DC. LXXV.

Cum Approbatione & Permiſſu.





EMINENTISSIMO

PRINCIPI

D. BENEDICTO

ODESCALCO

S. R. E. CARDINALI
Amplissimo Hieronymus Florentinius deuotionis obsequium.







LIBELLUM meum olim *sub nomine Comœdio-crisis in lucem editum, placuit Eminen-*

tiæ Vestræ legere, & non sine aliqua grati animi cogitatione, lectum memoria retinere: & quamvis, ut erat mole paruus, ita merito exiguus, non tamen omnino despicabilem, Vestra Eminentia, pro sua benignitate existimauit: Sed nonnihil, quod incaute irrepserat, humanissime dissimulans, unum vero quod præcipuum censuit, me voluit admonere. Quod nimirum, sicut omnes Theologos, qui de inhonestis Comœdiis sententiam dixerant, in Classem redegeram, ita Sanctorum Patrum dicta de eodem argumento, eorúmque placita, & authorita

thorita

thoritates debueram adnotare. Voluntas Eminentiæ Vestræ fuit mihi, vt par erat, pro lege, statímque ad opus manum admoui: & non solùm Sanctos Patres, contra obscænum Theatrum declamantes excripsi; & cúm his, etiam antiquiores illos, qui pro Ecclesiastica disciplina, primis Ecclesiæ temporibus scripserunt; sed à lectione Sanctorum Patrum edoctus, alia etiam testimonia superinduxi, quæ omnia in hoc vnum conspirant, vt ostendant quanto studio debeant, qui Christiano nomine censentur, à Theatri turpitudine abhorrere; Nonnullas etiam

incidentes difficultates, seueriori, & ut dicunt Scholastico stylo discussi. Nescio, an Vestræ Eminentiæ votis, ut apprimè volebam, satisfecerim: hoc unum scio, quod illud assequi summoperè desideraui. Constat igitur, quod si quid in huius operis renouatione, & auctario, quod prodesse valeat, continetur, cum ex monitis, & lumine provenerit, quibus Eminentia Vestra tenebris meis affulsit, totum quicquid est in huius meæ Comædio-crisis instauratione, si ad rem faciat, Eminentiæ Vestræ acceptum refero.

Nihil itaque, Eminentissime Princeps,

Princeps, offero, quod meum sit; cum totum sit verè tuum. Accipe igitur, quod tibi omni iure debetur: & tanquam de re propria, vt libere disponas, & decernas, obsecro. Non aliam lucem huic qualicunque labori prætendo, quàm quòd sub Eminentiæ Vestræ patrocinio suscipiatur; eoque solo, ac nobilissimo tui nominis splendore satis, supérque illustratum erit. Vale, méque, vt inter tuæ seruituti addictos, addictissimum reponas, ambio, precor, discupio, & repositum dedico. Lucæ, &c.

Fran



Franciſcus Guiniſius Rector Generalis Congregationis Clericorum Regularium MATRIS DEI.


CVM duobus ex Noſtris Patribus examinandum commiſerim Opuſculum inſcriptum *Comœdio-criſis*, ſiue *Cenſura Theatri contra Theatrum* compoſitum à P. Hieronymo Florentinio noſtræ Congregationis Matris Dei; & ipſi nihil in eo non conſonum ſanæ Doctrinæ & bonis moribus contineri retulerint; facultatem concedo, vt typis mandetur: ſi ita iis, ad quos ſpectat, placuerit. Romæ die 23. Augusti 1674.

FRANCISC. GVINISIVS.

SVMMA



SVMMA EORVM
quæ infrà continentur.




Carmeli

Discur

rem,

AD



AD LECTOREM.



ON eſt animus contra illas Comœdias inſurgere, quarum argumentum morale eſt, & honeſtum, & in quibus nihil ab Actoribus, aut verbo, aut geſtu proponitur indecorum: hoc enim animi laxamentum non eſt reprobandum, ſed cum debita temporis, loci, & perſona-

rum

rum obſeruatione exhibitum, commendare oportet, & cum Ariſtotele *lib.*8. *Polit.c.*7. tanquam innoxium, imò plerumque vtile laudandum; ſed contra Theatrum diſputo, in quo, vt cum Diuo Cypriano loquar n.100 .*Adulterorum fallaciæ, mulierum impudicitiæ, ſcurriles ioci, ſordidi Paraſiti, ipſi quoque Patresfamiliæ togati, modò ſtupidi, modò obſcæni, in omnibus ſtolidi, & certis nominibus inuerecundi repræſentãtur.* Contra ſcenas illas calamum dirigo, in quibus licèt à principio, vna, vel altera actione

actione argumentum graue, & bonis etiam moribus interdum accommodatum exhibeatur, postea disrupto pudoris aggere, tandem in omnem lasciuiam impudentissimi histriones, tum verbis, tum factis dissoluuntur.

Neque propterea actum ago, quia etiam Anno 1637. simile argumentum contractauerim sub titulo Comœdio-crisis in libello Typis Viterbiensibus impresso: nam in eo solos Theologos morales, & Casuistas recensui, ex quibus

bus paucas ſubintuli concluſiones; nunc autem plures Authores in quatuor Claſſes affero diſtributos: in quarum prima, ex præcipuis ſacrarum litterarum locis adnotaui aſtus, & technas communis inimici, quibus iam ab origine mundi, & deinceps conſueuit, ita homines ad Dei offenſam prouocare, vt ferè ſemper per quoſdam ſcenicos actus aggredi voluerit, quaſi ipſe, vel inuitus teſtimonium dicere ſit coactus, nimirum Theatrum, etiam

à principio, vt Tertullianus prælusit num.78. *Negotium diaboli fuisse*, & præcipuam machinam ad hominis sanctitatem, si fieri posset, labefactandam, excogitatum. In secunda Classe Sanctorum veterum Patrum, & antiquorum etiam Ecclesiæ Scriptorum contra inhonestas Comœdias placita exscribo; in tertia Theologorum, tum moralium, tum Scholasticorum opiniones. In quarta Philosophorum, & etiam Ethnicorum sententias congero;

ro; & quasi omnium Authorum Theatrum, contra Theatrum exhibeo; vt iam dubitare non liceat, quin omnis lingua, imò omnia tempora contra obscœnum Theatrum continuò reclamauerint.

Præter hæc addidi etiam quosdam discursus, provt mihi visum est expedire, ad rectam intelligentiam quarũdam tum distinctionum, tum rationum, quas nonnulli ex Authoribus afferunt, fortaßè conniventes, siue histrionibus, siue etiam curiosis spectatoribus;

toribus; quæ ſi ea facilitate, qua aſſeruntur, eadem admittantur, certum eſt, quòd licebit omni hominum generi Theatro quantumvis obſcæno, intereſſe; id quòd non ſolùm Chriſtianæ pietati, & pudori repugnat, ſed quàm ſit ab omni ratione alienum, ſatis etiam intelligitur, ſi attentè conſideretur, quod exinde ſequitur, libros de rebus obſcœnis tractantes, quos certiſſimum eſt, eſſe prohibitos, nihilominus poſſe tuta conſcientia legi, eo modo, quo licet audire impu

impudicissimas Comœdias; præsertim, si Auditores statuant delectari, non de rebus obscœnis, sed solum de modo, & ingenio, quo res illæ repræsentantur. Sed multo euidentiùs huius, quæ sequitur licentiæ exorbitantia constat, si in secunda, quæ in ordine succedit Classe, Sanctorum Patrum sententias legamus, & consideremus quam ardenter, & quam rigidè contra Theatri obscœnitatem inuehantur.

Neque hîc possum dissimulare quorundam recentiorum

tiorum animum; ne dicam libertatem, qui asserere non verentur, quòd Patres non condemnent peccati mortalis, sed venialis dumtaxat, audientes Comœdias notabiliter turpes, & dictis, vel factis turpiter expressis ad Venerem prouocantes Sed nunquid credendum est, Clementem Alexandrin. *n.*88 à me relatum, scripsisse, quòd pecatum veniale sit, *Verum Dei-cultum, ac religionem, dæmonum superstitione libidinosè, & obscænè inquinare?* num D. Cyprian. *n.*92. existimasse peccatum veniale,

quando gemebundus ſcribebat, *adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ incitamenta vitiorum, histrionicis geſtibus inquinari?* an S. Ioan. Chryſoſtomus *n.* 120. *Lapidibus exagitandos* eſſe hiſtriones hortaretur, quia ſolùm venialiter peccarent? an ſpectatores illis plaudentes, ſoli peccato veniali obnoxios exiſtimaret, quando eos vocat n. 122. *Initium, & caput iniquitatis huius potiſſimum?* an ſolam venialem culpam diceret grande malum, dum ait *n.* 124. *Proptereáque maximè*

mè gemo, quòd tam grande malum, hoc malum esse non creditur,&c. an solas culpas veniales *n.126. Clamores diabolicos* appellaret, & *n.128. Tantámque lasciuiam in audientium, atque videntium animos infusam*, venialem culpam crederet? nunquid peccati venialis argueret Theatri auditores, dum *n.*133. dicit; *Tu in Theatro cernis, vbi etiam locus ipse animam supplicij ream efficit, nec tantùm cernis; sed etiam audis, cum tot præcipitia sint, tot corruptelæ, quî credere queam, te à ferarum morsibus esse immunem?* Sanè

ferarum morſus, nonniſi mortalia ſunt vulnera. Et Sanctus Auguſtinus ſine dubio, niſi credidiſſet, eſſe peccatum mortale accedere ad huiuſmodi Theatrum, non diceret, diabolum ideo inſaniam turpium voluptatum in Theatro proponere *n.* 136. *Vt his delectationibus capiat, quos amiſerat, ac lætetur denuo, ſe inueniſſe, quos perdiderat.* At certiſſimum eſt, non propter veniale peccatum; ſed propter mortale, diabolum recuperare homines, quos perdiderat: neque *n.*137. hoc peccatum

inter

interessentium Theatro, si veniale tantùm putasset, dixisset, *huius malitiam esse pestilentiam longè grauiorem* illâ, quæ corpus afficit. Et eodem modo loquitur S. Isidorus Pelusiota *n.*242. de peccato eorum, qui obscænis spectaculis intersunt.

Et tandem si Theatrum locus non esset Diuinæ gratiæ inimicus, & in quo leuia tantùm peccata committerentur, Tertullianus *n.*72. non vocasset illud *sacrarium Veneris*, & n.75. *Impudicitiæ consistorium*. D. Cyprian. n. 97. *Dæmoniorum inuentum*. Et lib.

de ſpect. *Pudoris publici lupanarium, & obſcænitatis magiſterium.* Nazian.num.107. *Scholam fæditatis, & laſciuiæ.* Chryſoſt.n.129.*Fornicationis gymnaſium, intemperantiæ, & inhoneſtatis exemplar*;& nimis exaggeratè Salvianus *n.*144. ſcripſiſſet,quod *alia crimina ſingula ſibi fermè in nobis vindicant portiones; vt cogitationes ſordidæ animum; vt impudici aſpectus, oculos; vt auditus improbi, aures; ita vt,cum ex his vnum aliquid errauerit reliqua poſſint carere peccatis. In Theatris verò nihil horum reatu vacat; quia, & concupiſcentiis*

animus,

animus , & auditu aures , & aſpectu oculi polluuntur. Quæ quidem tam flagitioſa ſunt , vt etiam explicare ea quiſquam, atque eloqui , ſalvo pudore non valeat, &c.

Quare euidenter apparet , eos , qui Sanctorum Patrum expoſtulationes contra impudicum Theatrum , de ſolo peccato veniali interpretantur , Sanctos Patres non legiſſe.

Illud verò non minus blanditur eis, qui frequentare Theatrum deſiderant, quòd ſecundo loco dicunt, nimirum tutos eſſe in conſcientia

ſcientia huiuſmodi ſpectatores, quia doctrinam ſequuntur propter authoritatem grauium Doctorum probabilem, & ideo operantur prudenter: at, qui ita operantur, non peccant mortaliter.

Sed omiſſis hîc, quæ de opinione, vt ſit probabilis, requiruntur, ſolùm aduerto, quod, ſi hæc ratio ita accipiatur, vt ab ipſis Authoribus affertur, & cum conditionibus, quas omnes ſemper adiungunt, aut parum, aut nihil prodeſt volentibus intereſſe Co-

mœdiis notabiliter inhoneſtis: nam primo exigunt, vt accedant, nullo pravo fine, & intentione delectandi ſe de rebus turpibus, aut turpiter repræsẽtatis; quod ita difficile exiſtimant Sancti Patres, præſertim Chryſoſtomus, ſicut difficile eſt hominem carne, & ſanguine cõpoſitum, eſſe ferrum, aut ſaxum. Vide quæ *Diſcurſu* 5.6. *&* 7. de hac materia diſputo. Secundò requirunt omnes Authores, quod ſpectatores nullum periculum proximum ſubeant, huiuſmodi obſcænitatibus conſentien

ſentiendi : quàm verò ſit arduum ſeruare in praxi hanc ſecundam conditionem, iudicet diſcretus Lector, poſtquam ſupradictos Diſcurſus conſiderauerit. Tertiam conditionem non malè adderet quiſpiam, ſi diceret, quod, etiamſi huiuſmodi ſpectatores nulla mala intentione interſint, etiamſi nullo modo conſentiant turpitudini, ab hiſtrionibus repræſentatæ, non ſatis eſt ad hoc, vt inculpatè ſpectent : ſed præterea requiritur, vt hiſtrionum peccato, quod in

in omnium Catholicorum Doctorum ſententia procul dubio mortale eſt, non cooperentur: nam, vt infallibilis Apoſtoli doctrina habet, peccat non ſolùm, qui facit peccatum, ſed etiam qui illi cooperatur. Vide *Diſcurſum* 7. *num.*408. & *octau. n.*448.

Hæc ſunt, quæ amicum Lectorem præmonitum eſſe volui, vt ſcopum, & intentionem operis intelligens, ſi quid boni, & ad rem pertinens deprehenderit, Sanctis Patribus, & aliis Doctoribus, à quibus

omnia

omnia mutuasse profiteor, nihil enim de meo attulisse volui, acceptum referat: si quid verò mali inuenerit, meum esse sciat, & mihi corrigi parato, veniamque petenti, pro sua humanitate ignoscat.

THEA



THEATRI CONTRA THEATRVM CLASSIS PRIMA. 1

IN QVA QVANTVM inhonestæ Comœdiæ valeant ad expugnandam virtutem ex ipso Dæmonis testimonio demonstratur, & eo licet, aut inuito, aut ignorante, conuincitur. 2





LLA est in rerum imitatione virtus, & efficacia, vt non solum, quæ ad imitandum sunt proposita, faciat esse præsentia; sed id non sine magna

iucunditate,& delectatione perficiat:
ex quo fit, vt Aristoteles quoque
docet in Poëtica *cap.2.* quod etiam,
quæ in se horret animus aspicere, si
3 in aliqua imagine affabrè imitante
oculis occurrant, cum voluptate vi-
deantur; nouit hanc homini à na-
tura inditam conditionem vaferri-
mus ille, & aduersarius noster Dia-
bolus, & ex quo cum damnatis suis
satellitibus conuenerat homines ni-
mirum seducere, vt in Deum pec-
cantes, ipsi Deo infensi fierent, &
odibiles, ne ad altissimam sanctita-
tem, à qua ipse cum suis in æternum
4 exciderat, vllo vmquam tempore
peruenirent; spectauit fore, vt per
imitationem aliquam cum voluptate
coniunctam, tanquam per efficacis-
simum medium ad suæ nequitiæ in-
tentum finem perueniret; & ideo
vel in aliqua scena, vel scenico ali-
quo artificio, ea homini proponere
statuit, quibus homo ipse, facilè
ad illicitam concupiscentiam, & ad
5 vana delectamenta moueretur. Igitur
ad maiora facinora,& ad grauiorum
criminum

criminum tentamenta promouenda scenicas imitationes elegit : non quòd semper imitatio ex natura sua malitiæ sit instrumentum, cum ex se sit indifferens, & à rebus repræsentatis, & ab ipso etiam imitationis artifice, vel ad virtutem, vel ad vitium animum valeat excitare : sed
quòd nequissimus hostis scenicæ 6
imitationis vim intuitus, voluerit se primum in scena huius mundi artificem, seu histrionem primarium experiri, vt hominem à Creatore Deo in innocentia, & sanctitate conditum, in omnium malorum colluuiem, & abyssum facilè labentem, impelleret. Vide sis; non qui-
dem ex omnibus, hoc enim nimis 7
in longum nostræ huius considerationis studium protraheret : sed ex pluribus, iisque præcipuis actibus, qui ex infallibili sacrarum litterarum testimonio innotescunt ; quantum nequissimus hic in arte histrionatûs artifex, fiduciam de Theatro conceperit ; & quantum roboris ad remouendum hominis animum à vir-

tute ex comicis figmentis habuerit,
8 facili illatione comprehendes ab iis, quæ sequuntur ex quibus si qua erunt quæ neque ad flagitia, neque ad obscænam vllam voluptatem alliciant; quippe oculis & auribus ingrata: ad alia tamen scelera spectatores suos impellunt.

Anno primo ab orbe condito, Primam laruam introduxit Diabolus cum Evam, primam mulierem alloqueretur, nam Tertullianus *lib. de spect. cap.* 18. *Palestrica Diaboli negotium est. Primos homines Diabolus elisit: ipse gestus, & colubrina vis est tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum.*
9 Et S. Augustinus *tract.* 42. *in Io:* dixit, quod *serpente indutus, locutus est mulieri*, & etiam D. Basilius Seleuciensis *orat.* 3. *in Adam: Diabolus itaque serpentis facie personatus meditata aggreditur.*

Anno 1557. Videns igitur perfidus hostis iustorum semen admodum multiplicari, conatus est, inquit Rupert. *lib.* 2. *de vict. verbo Dei c.* 23. Homines

Homines adeò infensos, & exosos 10
Deo reddere, & ad maiora carnis
scelera perpetranda impellere, vt
omne hominum genus perdere Deus
deliberaret; id quod vniuersali di-
luuio facere decreuit: *Delebo*, inquit,
hominem quem creaui à facie terræ.
Gen. *cap.*6.7. Ad hunc autem pessi- 11
mum finem consequendum, antiquus
veterator comœdia vsus est, & thea-
tro, quatenus nimirum communem
viuendi rationem liberam fecerat, &
impudicam, & ideo *Matth. cap.*24.
38. & *Luc. cap.*17. 26. describens
Christus Dominus deprauatos mores
illius temporis, dicit, quòd: *Homi-
nes erant ante diluuium comedentes,
& bibentes, nubentes, & nuptui tra-
dentes, vsque ad eum diem, quo in-* 12
trauit Noë in Arca, &c. Quod verò
illius temporis connubia essent ob-
scæna, describit aperte *Moyses Gen.
cap.*6. 3. dicens quod, *Dei filij*, id
est filij Seth, qui erant illo tempore
homines ad cultum Dei specialiter
addicti, *Videntes filias hominum, quòd
essent pulchræ, acceperunt sibi vxores,*

13 *ex omnibus , quas elegerant.* Hæc
verba ita apud sanctos Patres, &
interpretes, significant, quòd vnusquisque, etiam ex illis hominibus,
qui eò tempore magis iusti & religiosi reputabantur, ex pulchrioribus
fœminis, quas ad libidinem saturandam elegerant, sibi accipiebant
in vxores fornicarias: modus autem
14 quem diabolus obseruauerat, vt in
omnes homines mores adeo perditos induceret, non alius fuit, quàm
stylus comicus, & ludus theatralis:
totus nimirum orbis conuersus in
scenam, tam personati, quam veri
homines in eo ludebant, vt euangelica præcitata verba satis significant;
verè enim omnes erant nedum *comedentes, & bibentes &c.* sed fortasse
15 laruati etiam, & personati in hoc
Theatro agebant. Nam eo tempore
dæmones incubos abusos esse mulieribus illis, sentiunt plures, vt *Philo
in libro de Gigant. Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 5. Iustinus Martyr in prima
Apologia pro Christianis. Clemens
Alex. lib. 3. Stromat.* Tertull. *lib. de
habit.*

habit.mulier. Lactant.lib.2.diuin.instit. cap. 15. *Magister histor. Eccles.in lib. Genes.cap.*31. & *Burgens.* Imo ex san- 16
ctis Patribus nonnulli considerantes quòd sacra scriptura, dum *cap.6.Gen.* pessimos illorum hominum mores describit, expressè notat, quòd eo tempore *Gigantes erant super terram*, dicunt ex dæmoniis incubis, & mulieribus Gigantes esse natos, ita S. Cyprianus, aut quisquis est Author
libri *de singularit. Clericor*; quem 17
laudat, & commendat Bellarminus, *folio mihi* 4. *ante finem* dicit: *Nouimus, cum Angelis fœminas cecidisse*, &c. D. Ambrosius *lib. de Noë, & Arca cap.*4. *Gigantes*, inquit, *ex Angelis, & mulieribus generatos asserit Moyses, quos hoc vocabulo appellat*, &c. D. Augustinus *in lib. quæst. super Genes.* dubius est, an nomine filiorum Dei, qui ad filias hominum ingressi di-
cuntur, intelligantur dæmones, sed 18
*lib.*15. *de Ciuit. Dei cap.*23. tanquam certum asserit nomine *filiorum Dei* significari Angelos apostatas. Et pariter D. Gregorius *lib.*17. *moral.*
 *cap.*12.

*cap.*12. conſiderans illa verba Iſaiæ
2.26. *Gigantes non reſurgent, &c.*pu-
tat intelligi, apoſtatas Angelos,
19 ſiue ergo gigantes fuerint dæmones
humano habitu laruati, qui cum
hominibus familiariter agentes, ad
libidinem fœminas excitarent; ſiue
filij Dei dæmones fuerint, qui vt
Burgenſis aſſerit, à potentiſſimis vi-
ris validiſſimum ſemen collegerint,
& in robuſtiſſimas fœminas incubi
transfuderint, & Gigantes genuerint,
qui erant viri ſtatura proceri, ſuper-
20 bi, effrænati, & omni ſcelere imbu-
ti, planè conſtat, Diabolum hoc
ſcenico apparatu vſum fuiſſe ad ex-
tinguendum, ſi potuiſſet totum, hu-
manum genus. Ab hac ſcenica hiſto-
ria accepiſſe Poëtas ea, quæ de con-
nubiis Deorum, & mulierum; & de
Gigantibus, qui aduerſus Deos bella
geſſerunt, docet *Euſeb. lib.*5. *de præ-
parat. Euang. cap.*4.
21 Anno 2305. Dina violatur. *Geneſ.
cap.*34. quia vt ibi dicitur, *egreſſa
fuerat, vt videret mulieres regionis
illius*, & vt addit Ioſeph *lib.*1.*antiquit.
cap.*27.

cap.27.Sichimitis festiuitatem habentibus, nomen festiuitatis in originali Græco est ἑορτὴν, quod significat festiuitatem solemnem, quæ tam potest intelligi de solemnitate, consistente in sacrificiis, quàm in spectaculis, 22
quibus gentes consueuerant suos deos in solemnitatibus venerari; & *Iul. Cæsar Bulengerus de Theatr. lib.1. cap.1.& 2.* notat, comœdias originem traxisse ab hoc cultu, quo Cananæi quales proculdubio erant Sichimitæ, suos deos colebant; non erit ergo violenta interpretatio, si dicamus, *Sichimitis comœdiam agentibus* fuisse
Dinam à filio Regis cópressam. Hoc 23
stuprum seminarium fuit, & origo homicidiorum, & discordiarum ingentium: nam fratres Dinæ Simeon, & Leui noluerunt sororem desponsari, & dari in vxorem Sichem filio Hemor, qui fuit Rex Sichimitarum, nisi tota illorum ciuitas ritum circumcisionis, prius acciperet, & omnes ciues circumciderentur; quia
dixerunt sibi non licere, cum incir- 24
cumcisis miscere connubia. Rex

Hemor; & filius eius Sichem, perſuaſerunt Sichimitis, vt circumciderentur. Quare omnibus circumciſis, tertia die, quando vulnerum dolor ſolet eſſe grauiſſimus, Simeon, & Leui, in vindictam ſtupratæ ſororis, Ciuitatem ingreſſi, omnes viros à maximo vſque ad minimum, vnà cum Rege, & filio, trucidauerunt.
25 *Gen.* 34. 25. Vana equidem curioſitas Dinam ex paterna domo imprudenter extraxit; ſed tu conſidera huius curioſitatis funeſtum exitum: ſcenam & Theatrum in honorem Idoli agebant ciues Sichimitæ, & mulieres: exinde Dinæ ſtuprum, ex ſtupro cladem, & mortes plurimas, & pene totius ciuitatis excidium molitus eſt Theatri architectus Diabolus.
26 Anno 2327. Thamar nurus Iudæ Patriarchæ poſt duos filios Iudæ mortuos ſibi ſucceſſiuè in matrimonio iunctos, vt inceſtuoſum concubitum ab eodem ſocero Iuda furaretur, habitum meretricium aſſumpſit, & in biuio itinere prætereuntem Iudam alliciens, ad inceſtuoſum concubi-

concubitum, dolosè induxit. *Gen.* 38. 16. Sic nimirum laruatam mulierem 27
in scena apparere voluit diabolus vt nurum, socerum, & prolem faceret incestuosos.

Anno 2398. Iobi afflictiones hoc tempore Deo permittente, factæ sunt, & spatio septem annorum continuatæ. Hoc tempore, vt Iobi sanctitatem subuerteret Satanas, plures in scenam personas induxit comœdiarum instructor assuetus iam & magister; & primò tres nuncios, qui 28
tristia nunciarent Iobo, dæmones nimirum humana sub forma laruatos, vt communiter docent interpretes, & cum Chrysostomo, Olympiodoro, & Polycronio sentit Pineda, introduxit. Deinde vxorem, quæ ad blasphemandum Deum induceret: postea ipsum Iobum vlcere pessimo percussum, & in sterquilinio, testâ saniem radentem. Demum tres amicos, vt 29
eumdem ad desperationem prouocarent. Vsus est ergo scenico Theatro vt sanctitatem Iobi prosterneret; & verè Theatrum fuit Deo dignum;

inuito

inuito tamen, & ignorante dæmone, qui, vt irritatis Iobi passionibus, animi fortitudinem frangeret, scenam plene instructam disposuerat; at verò Deus illud permittebat, vt de
30 Iobi patientia, tanquam de spectaculo delectaretur, nam vt pulchrè D. Chrysostomus in catena illi exprobrat in persona Dei dicens: *Etenim si de medio eum sustuleris, Theatrum nobis non plaudet amplius.*

Anno 2544. Idem malignus hostis, vt populum Dei ad terram promissio-
31 nis incedentem, & sub Dei singularibus auspiciis protectum spoliaret, & ad idololatriam, & vituli aurei adorationem perduceret, comicas, & theatrales saltationes introduxit, vt Exod. *cap.* 32. 6. dicitur; *sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Torniell. dicit *more gentilium.* Lyr. *ludere* id est, *chorizare,*
32 *& cantare in venerationem Idoli. D. Augustinus ser. 231. de temp. Cœpit,* ait, *phrenetico more choros ducere, & diuersis saltationibus membra torquere. Donat. comment. ad Terentium* dicit,

quòd

quòd *Comœdia vetus ab initio chorus fuit.* Comœdiam igitur introduxit Diabolus, vt idololatriam suaderet & ideo optimè scripsit D. Cyprianus *lib. de spect. Ita diabolus artifex, qui idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit, vt per volu-* 33
ptatem posset amari.

Anno 2583. Idem impius Theatri fabricator Pseudoprophetam fecit, de præstigiatore, comœdum. Cum enim Balaam, vt dicitur *Num. c. 25.* rogatus à Rege Moabitarum Balaac, vt Israëlitarum genti malediceret, & obstante diuino sibi comminato interdicto, imprecari nequiret, quod voluisset; in illud deuenit consilium, vt ipsum populum ad idololatriam induceret, & in ipsum Dei prouocaret indignationem. Machinam ad id consequendum, non aliam excogitauit, quàm Theatrum: fuit autem apparatus, qui sequitur. Moabitarum viri, quo tempore festa celebrabant in honorem Beelphegor, induxerunt filias suas adolescentes, vt 35
prope castra Hebræorum se exponerent,

rent, & fingerent esse fœminas venditrices quæ Idolothita, seu, cibos iam consecratos idolo, quod singulæ secum religionis causa deferebant, venditarent. Mulieres igitur à maioribus edoctæ, vt quæ fictæ erant mercatrices, veræ fierent, meretrices, cum pulchræ essent, & inhonestæ, viros Israëlitas ad amorem & venerem alliciebant; quos tandem illectos, non priùs ad turpem voluptatem admittebant, quàm Idolo, inter omnes Gentilium Deos impudicissimo, siquidem Beelphegor, siue Priapus dicebatur, cultum nefarium exhibuissent. Cultus autem, vt Pagninus noster notauit, in Lexico, in commessationibus, impudicitiis, & in omni effrænata libidine versabatur; ita enim Beelphegor, id est Deus nuditatis, à suis cultoribus volebat obseruari: quare vt in Comœdiis Satyri nudi prodibant in scenam; quod Horatius monet in Poëtica, fœminæ nudæ coram nudato Deo, actus comicos, & incompositas saltationes,
55 Gaditanas forsitan, exercebant, atque
ita

ita tandem miseros Israëlitas ad impudentissimas, & sacrilegas fornicationes inducebant. Quapropter tanta fuit in populum fornicarium & idololatrantem Dei vindicis indignatio, vt tum suspendio Primatum, tum plagâ pestis, & ignis viginti tria millia virorum pro illo scelere occisa fuisse, sacra testetur Historia. Vide infrà *num.*540. & sine dubio credas, inter flagitia, ad quæ diabolus homines impellebat, nullum fuisse magnum, quod non aliqua scena, fuerit perpetratum.

Anno 3078 Ieroboam impius Rex super decem tribus Israël populum sibi subiectum; iam ad Idola colenda seduxerat; hac de causa à Deo puniri cæpit infirmitate graui proprij filij. Igitur *lib* 3. *Reg. cap.* 14. 2. à vero Propheta Domini Ahia Silonite scire volens, an filius ægrotans esset moriturus, cogitabat modum 54.
consulendi Prophetam, ita secretè & callidè, vt nullus de populo posset scire, se à vero Deo per eius ministrum responsum, & auxilium expectare;

expectare;ne populus videns Regem, Dei Prophetam conſulere, ab Idololatria ad verum Dei cultum iterum conuerteretur,tam impium, & obſti-
35 natum conſilium doloſè retinendi populum Dei, in grauiſſimo errore Idololatriæ, iam diù à ſe ſeductum, exiſtimauit non poſſe melius executioni mandari quàm ſi more Comicorum, laruam, & fictum habitum adhiberet, nedum ad populum decipiendum, ſed, ſi poſſibile fuiſſet,
36 etiam Domini Prophetam. Nemini igitur, excepta propria vxore Regina, conſilium ſuum communicat, ſed hanc ad Prophetam mittit, dicens; *Surge, & commuta habitum, ne cognoſcaris quòd ſis vxor Ieroboam.* Comicam igitur diabolus fictionem ſuo more adhibebat, vt ad magnum ſcelus induceret peragendum.

Anno 3327. Eſaias Propheta *c.3.* prædicit excidium Iudæorum per
37 Titum, & Veſpaſianum Imperatores ob occiſum ab eis Chriſtum; & hæc eſt huius excidij prima, & principalis cauſa: fuit etiam alia ſecunda cauſa,

causa, nempe, plura peccata populi: primariam causam indicat versus 8. dicens. *Ruit enim Hierusalem, & Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum*, &c. Quasi dicat, hæc prin- 38
cipalis causa fuit ruinæ Vrbis, quia Iudæi, Messiam, tanquam seductorem, & latronem falsis testibus accusarunt Pilato, & voluerunt, vt eum morti traderet. Alia verò causa significatur *sequenti nono versu. Agnitio vultus eorum respondit eis; & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Nimirum in diebus obsidionis, & cladis; si Populus Iudai- 39
cus conqueratur, dicens, quænam fuerunt nostra peccata; propter quæ tanta ruina nos opprimit? intueantur, respondet Propheta, *vultus eorum*, & videbunt in facie, & in fronte scripta peccata propter quæ hoc venit exterminium: in eorum enim vultu erit lasciuia, & impudentia, sicut olim fuit in Sodomæ ciuibus, qui publicis peccatis gloria- 40
bantur, & *vers.* 16. clarè dicit Propheta.

pheta. *Eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant.* &c. *Cornel. à Lap. in comment. vers. 9.* notat, quòd licèt de fœminis Iudæorum loquatur Propheta, intelligit tamen, viros futuros similes fœminis, quia nimirum effœminati moribus, fœminas se esse fingebant, or-
41 naméta mulierum vsurpantes:& neque hîc dissimulanda sunt illa verba. *Agnitio vultus eorum, &c.* nam idem *Cornel. à Lap.* docet, ex Hæbreo trásferri commodè posse, vt sit idem, ac *simulatiò, fictio, fucatio vultus eorum respondit eis*, tam enim viri, quàm fœminæ inquit ibi. *Cornel. vers. 16.* Fucabant facies suas, & quasi laruam propriæ faciei inducebant, his
42 consona sunt quæ paulò post de Christo Domino flente super ciuitatem Hierusalem, adnotabo *n.* 50.

Anno 31. à Christo Nato. Non minore ardebat desiderio Diabolus impediendi, si potuisset, humani generis redemptionem, quàm proprio igne gehennali torqueretur; ideo omnem

omnem mouebat lapidem, vt deprehenderet, essetne Christus Filius 43
Dei, & Messias in lege promissus: si enim Dæmones cognouissent, inquit, *Apost. 1. Cor. cap. 2. 8. nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*; Illum igitur in deserto ieiunantem impius aggreditur hostis, & triplici tentatione audet impugnare. Sed non nisi theatrali, & scenico apparatu,
illum prouocat ad congressum. Pri- 44
ma siquidem tentatio, vt omnes expositores, & Interpretes consentiunt, apud *Salmer.tom.4.par.1.tr.12.* fuit in specie, & forma pij cuiusdam hominis Heremitæ. Secunda in forma boni Angeli; nam se Angelum Dei esse finxit, qui ex testimonio sacrarum litterarum suadere volebat, vt in pinnaculum Templi delatus, inde se deorsum præcipitem daret, Angelicis manibus, vt dicebat sustentandus. Tertia fuit, in qua 45
ostendit ei omnia regna mundi, eique dono danda exhibuit: & ideo in habitu cuiusdam Regis, seu magni Principis, se se illi obtulisse, & presentasse

ſentaſſe creditur ! Quomodo autem omnia regna mundi , tum in Oriente , tum in Occidente , vel Meridie, aut Septemtrione, nimirum in diſſitis terræ partibus conſiſtentia, omnia
46 inquam ſimul vnico intuitu proſpicienda obtulerit, diſputant SS. Patres , & Interpretes : qui enim opus hoc in imaginatione Chriſti , miniſterio Diabolico, impreſſum volunt, facilè ſe expediunt : qui verò , vt communior ſententia docet , reali viſione , & oculis exterius aſpectan-
47 tibus , demonſtratum hoc ſpectaculum fuiſſe affirmant , vel dicunt tentatorem , omnia regna mundi , in aliqua mappa Geographica , repræſentaſſe vnico proſpectu videnda,vel certè in aëre denſo picta , ſicut in ſcenis Comœdiarum obiecta diſtantia domorum,ſiluarum, & nemorum ſimul proſpiciuntur.

In tertia igitur tentatione diabolus nedum ſe Comicum , & hiſtrio-
48 nem, ſed Architectum fecit, & Agonothetam , qui in prima , multorum dæmonum ſatellitio ſtipatus acceſſit,

vt sentit *Salmer. loc. cit.* id est sub specie monachorum, qui Archimandritæ seniori, tamquam discipuli famulabantur; & in secunda astiterunt transfigurati iidem in Angelos lucis, vt à pinnaculo templi præcipitem lapsum manibus exciperent. En igitur quomodo, & plures perso- 49
nas laruatas induxerit, & machinas scenicas adhibuerit: & ideo nihil defuit, quo minus verè, & propriè ludum Theatralem, & Comœdiam egerit, vt humani generis salutem malignus, & inuidus impediret.

Anno 34. Christus Dñs, quando 50
in die Palmarum triumphali pompa ciuitati Hierusalem, vt illam inuiseret appropinquauit, fleuisse super illam dicitur, vt notauit *S. Lucas cap.* 19. Quidnam viderit inter multa, quæ sibi ingredienti occurrebant, non sine lachrymis considerandа, *Syluester de Prierio in Rosa aurea*, his verbis declarauit. *Quia vidit homines ciuitatis in spectaculis lætos*: Quod etiam, non obscure D. Gregorius *hom. 39. in Euang.* prænotaue-

rat,

51 rat, de illa ciuitate dicens, *Cùm enim se carnis voluptatibus daret, ventura mala non prospiceret.* Nimirum in vitia propensos homines detinebat diabolus, theatri voluptatibus addictos, ne ventura mala prospicerent, vt illos facilius, quod maximè cogitabat, contra hominem iustum concitaret. Atque ita scelus omnium maximum, Deicidium inquam, facinus fuit, machinante dæmone, in spectaculis præmeditatum.
52 Anno Christi 35. Sed illud vltimò non est dissimulandum, quod rabidissimus, & pessimus aduersarius noster excogitauit contra D. Paulum gentium Doctorem, & à Deo pro conuersione totius mundi prædestinatum. Hic cum Ephesi apertissimè & validissimè contra Iudæos, & Gentiles pro Euãgelica doctrina pu-
53 blicè concionaretur; & quidem tanto cum maiori Ecclesiæ nascentis profectu, quanto cum maximo detrimento idololatriæ; præsertim verò in damnum Dianæ Ephesinæ cuius prædiuiti templo locupletando, &
oblatio

oblationibus tum aureis, tum argenteis ornando, cuidam Demetrio argentario cum pluribus aurificibus
ministris cura demandata fuerat; 54
dæmon inuidus decreuit Pauli mortem omni conatu machinari:& inter innumeras artes, & actus, quos sibi malitia, insidiis semper assueta, suppeditauit, nihil opportunius adinuenit quàm theatrum impudicis spectatoribus & obscænis histrionibus plenum aduersus Paulum armare. Itaque Demetrium excitauit, & concitauit, 55
qui damnum, quod sibi, & Dianæ Ephesinæ templo ex prędicatione Pauli præuidebat imminere, prætexens; totam Ephesi vrbem commoueret: id quod subito contigisse, cum magno totius populi tumultu, actuum Apostolicorum narrat historia *cap.* 19. 29. Facto igitur impetu populus in theatrum, hac
voce clamans, & vociferans *magna* 56
Ephesiorum Diana, conuenit, & eundem in locum Paulum sponte properantem, licèt discipuli eius, & quidam principes Asiani, precibus resisterent,

resisterent, obsidens, volebat, aut feris obiectum, aut à se furente dilaniandum interficere: & licèt Apostolica historia, tam apertum discrimen dissimulet, satis fatetur ipse Apostolus *ad Cor. Epist.*1. *cap.*15. 32. illis verbis. *Ad bestias pugnaui Ephesi,*
57 & 2. *Cor.Epist.cap.*1.8. *Nolumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia*, &c. *ita vt tæderet nos viuere*, *sed Deus nos de tantis periculis eripuit*, &c. Et quidem *Niceph.lib.*2.*cap.*25.integram, & admirabilem huius facti narrat historiam. Itaque ad theatrum, in quo Ephesini obiiciebant omnes criminosos feris deuorandos, dum interim
58 libidinosis, & obscænis ludis Idolo gens impudica præluderet, & dæmon omnibus artibus studebat Paulum moriturum adducere; qui proculdubio remansisset extinctus, nisi Deus miraculosè liberasset. Iuuat hic Arati versus referre dicentis.

His dictis plebs mota fremit, magnamque Dianam

Communi

Communi clamore vocat, ac præpete cursu, 59
Itur in obscœnum cum seditione Theatrum:
Non alio decuit meritum, causásque Dianæ,
Quam fœdo tractare foro. Capit area turpis
Concilij deformis opus; tamen impetus amens
Fluxit, vt in vacuas oculis qui labitur auras.

Liceat mihi paucis mutatis scribere, 60
non alio meliori modo credidisse Dæmonem Euangelicæ Ecclesiæ nascentis excidium tentare, occidendo Paulum; quam si contra Apostolum impurissimum Theatrum, &, vt cum Tertulliano loquar, totius *impudicitiæ consistorium*, & turpitudinis emporium concitaret; vt etiam, ex hoc vltimo impetu luce clarius appareat, quantam ipse de scena fiduciam semper habuerit.

Tandem pro coronide huius pri- 60
mæ Classis, & vt certo certiùs constet, quanta pertinacia infensissimus

B Thea



Theatralibus armis munitus sperauerit fore, vt etiam post publicatum Euangelium, & fidem orthodoxam, iam ab orbe Christiano receptam, contra fidem esset præliaturus, licet iam ipse in ligno sanctæ Crucis triumphatus esset, & victus; non sunt hoc loco prætermittendæ exaggeratæ expostulationes, quas Tertullianus in primis, deinde S. Cyprianus, & S. Augustinus, demum Salvianus, qui quinto Euangelij sæculo declamabat scriptis consignarunt, vt ostenderent, cum quanto fidei Ca-
60 tholicæ detrimento, Christiani ad Theatrum accederent, vel idololatriam nunquam integrè abiuratam prosequentes, vel fidem orthodoxam iam verissimè professam, impiè deserentes: nam Tertullianus *infrà num.*73. relatus scripsit, in Theatro esse duo inter se *coniurata Dæmonia*, Venerem, & Bacchum; & *num.*75. Quòd suo tempore Christiani ab idololatris etiam *Theatris separabantur*, & *num.*81. Quòd plurimi Christianorum *à Domino exciderunt, quia*

cum

cum Diabolo apud spectacula communicabant; & D. Cyprianus *à num.96. vsque ad* 105. à me exscriptus, multis probat, Theatrum suo tempore fuisse idololatriæ progymnasma, & tandem hunc Dæmonis actum declarans, ait: *Ita Diabolus artifex, quia idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit, vt per voluptatem posset amari.* Deinde sanctus Augustinus *lib.4. de symb. ad Catechum.* initio, reprehendens Christianum, qui Theatrum adit, vocat illum susceptæ fidei in Baptismo, desertorem. Sed acriùs Saluianus Episcopus Massiliensis *num.*147. *& seqq.* insurgit contra Theatri spectatores dum asserit in Theatro committi *Apostasiam à fide*, eosque fidem Christi relinquere: & n. 151. *Dæmones* qui *præsident suo cultui dedicatis.* 60

Nec quisquam existimet, me solum ex proprio genio, & consilio, in hanc venisse sententiam, vt mihi pro certo persuaserim, testimonium Diaboli, licèt semper mendacis, huius tamen veritatis esse Assertorem; quod 61

Theatrum, siue obscænitatis, siue iniusti furoris fuerit gymnasium, semper veræ virtuti fuisse obnoxium. Nam, vt sæpè D. Augustinus *lib. 2. de*
62 *Ciuit. Dei*, sed præsertim *cap. 13.* hoc discrimen inter Græcos, & Romanos adnotauit, quòd Deorum crimina in scenicis ludis, siue vera essent, siue conficta, Romani non paterentur actitari, quia ludicram scænam, totam in probro, ita ducerent, *vt quisquis Ciuium Romanorum esse scenicus elegisset, non solum ei nullus ad honorem dabatur locus; verùm etiam, Censoris nota Tribum tenere propriam mi-*
63 *nimè sinebatur. O animum Ciuitatis laudis auidum, germanéque Romanum,* inquit Augustinus.

At vero Græci, vt idem ibidem, & *cap. 9.* prænotauerat, *quanquam inuerecundius, tamen conuenientius, licere voluerunt, cum viderent Diis suis accepta, & grata esse opprobria in scenicis fabulis, siue à Poëtis essent*
64 *illa conficta, siue flagitia eorum vera commemorarentur, & agerentur in Theatris, &c.*

Quòd

Quòd si pro defensione Græcorum respondeat aliquis quòd crimina illa non essent vera, sed ficta, & imposita: idipsum concludit S. Augustinus, *esse scelestius, quia si malitiam Dæmonum cogites, quid astutius ad decipiendum, atque callidius?* Nimirum, vt quæ de cœlo scelera venisse putarent homines, ea facilius 65
imitarentur, tanquam sacra. Nec dissimile est quòd idem S. Doctor *ibidem lib. 1. cap. 32.* obseruauit de prima scenicorum ludorum institutione in vrbe: nam, vt cum Liuio *in quarta Classe, num. 623.* adnotabo iussu Deorum Romæ cœpit Theatrum, quando pestilentia grassante, cum multo morientis Populi damno, nullum aliud, vel hominis consilium, vel cœlorum remedium inueniretur; Dij ad extinguendum huiusmodi morbum promiserunt placari, si ludi scenici, sibi in iræ cœlestis satisfactioné exhiberentur: quod factum, sed inutiliter est; neque enim propterea lues illa corporum cessauit, ait Sanctus Augustinus, relatus à me 66

67 *infrà num.137. ex lib.1.de Ciuit. Dei, cap.32. Sed astutia spirituum nefandorum prauidens illam pestilentiam, iam fine debito cessaturam, aliam longè grauiorem, qua plurimum gaudet, ex hac occasione non corporibus, sed moribus curauit immittere,* &c.

Quid ergo mirum, quod à prima mundi nascentis ætate, Diabolus in præcipuis suis contra hominem con-
68 flictibus, semper egerit in aliqua Theatri scena; si postea tum adolescentis, tum senescentis mundi temporibus, Theatrum histrionibus plenum designauit, esse machinam Christiani pectoris, licèt fortissimi, expugnatricem?

Videamus iam, quomodo post publicatum Euangelium fiducia huius impij veteratoris paulatim creuerit, & tandem ad summum malorum peruenerit, & in dies multo cum animarum detrimento sensim progrediatur.

CLASSIS

CLASSIS II.

In qua veterum Patrum, & 70
aliorum Ecclesiasticorum
Scriptorum Sententiæ ver-
batim contra obscænas Co-
mædias referuntur.

ANo à Christo nato 57. circiter,
scribebat Philo Iudæus lib. de
agricult. sub initio. ***Homines victi***
spectaculorum, & fabularum cupidine,
infranes, tum oculis, tum auribus con-
sectantur cytharistas, cytharedosque; 71
Præterea saltatoribus, Mimis inhiant,
propter gestus, motusque, ac status effœ-
minatos; atque ita factiones Theatri-
cas instaurant, securi cæterarum rerum
priuatarum, publicarumque totam
vitam in huiusmodi spectaculis conte-
rentes miseri, &c.

Anno 203. Tertullianus *lib. de* 72
spectac, cap. 10. *Theatrum propriè*

72 *sacrarium Veneris est. Hoc denique modo id genus operis in saeculo euasit: nam sapè Censores renascentia cum maximè Theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prauidebant; vt iam hinc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens, & nobis in exaggerationem disciplinae*
73 *etiam humanae praerogatiua. Itaque Pompeius Magnus, solo Theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriae suae censoriam animaduersionem, Veneris aedem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non Theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum: ita damnatum, & damnandum opus, templi titulo praetexuit, & disciplinam superstitione delusit; sed Veneri, & Libero conuenit.*
74 *Duo ista Daemonia conspirata, & coniurata inter se sunt ebrietatis, & libidinis. Itaque Theatrum Veneris, & Liberi quoque domus est, &c.*

Et *cap.*17. assignans vnam ex differentiis,

rentiis, quæ suo tempore inter Christianos, & idololatras obseruabatur; ait: *Hoc igitur modo, etiam à Theatro separamur, quod est priuatum consistorium impudicitiæ, vbi nil probatur, quàm quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius, de spurcitia plurima concinnata est*, &c. *Quam Mimus etiam per mulieres repræsentat, quam Pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex esse possit sexum pudoris exterminans, vt facilius domi, quàm in scena erubescant*, &c. *Quòd si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire, quæ loqui non licet? cum etiam scurrilitatem, & omne vanum verbum iudicatum à Deo sciamus? cur æquè liceat videre, quæ facere flagitium est? cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos, & aures admissa non videantur hominem communicare, cum spiritui appareant aures, & oculi, nec possit mundus præstari, cuius apparitores inquinantur? habes igitur, & Theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ, &c.* Pantomimi erant, qui

75 76 77

omnes personas, sed præsertim mulierum repræsentabant in scena; vt testatur Cassiodor. *variar. lib.4. epist. vltima*, & refert hic Pamelius *in notis num.*149. & expressè Tertullianus *hoc lib. cap.*23. dum imberbes illos,
78 vt solebant depingi, Saturnum, & Liberum describit dicens: *Placebit, & ille, qui vultus suos nouacula mutat infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno, & Isidi, & Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic obiicit, quasi de præcepto Domini ludat*, &c.

79 Et cap.18. *Palestrica*, inquit, *Diaboli negotium est. Primos homines Diabolus elisit: ipse gestus, & colubrina vis est tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum*, &c.

Et cap.26. *Cur ergo non huiusmodi etiam Dæmoniis penetrabiles fiant: nam & exemplum accidit, Domino teste, eius mulieris, quæ Theatrum adiit, &*
80 *inde cum Dæmonio rediit. Itaque exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quòd ausus esset fidelem aggredi: constan.*

constanter, & iustissimè quidem, inquit, feci, in meo eam inueni. Constat, & alij linteum in somnis ostensum eius diei nocte, qua tragœdum audierat, cum exprobratione nominato Tragœdo: nec vltra quintum diem eam mulierem in sæculo fuisse. Quo vtique, & alia documenta cesserunt de his, qui cum Diabolo apud spectacula communicando à 81
Domino exciderunt. Nemo enim potest duobus Dominis seruire.

Et cap. 27. *Quid facies in illo suffragioru impiorum æstuario deprehensus, non quasi aliquid illic pati possit ab hominibus. Nemo te cognoscit Christianum, sed recogita, quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim illo momento, quo in Diaboli Ecclesia fueris, omnes Angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures Diabolo aduersus Deum administrauerit. Non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiariam, ipsúmque aërem, qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum? sint* 83
dulcia, licèt & grata, & simplicia,

etiam

etiam honesta quadam. Nemo venenum temperat felle, & elleboro, sed conditis pulmentis, & bene saporatis, & plurimum dulcibus, id malè iniicit: ita, & diabolus lethale, quo conficit rebus Dei gratissimis, & acceptissimis imbuit. Omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subti-
84 *lia, proinde habe, ac si stillicidia mellis de libacunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis quanti periculum*, &c.

Anno 170. Tatianus sancti Iustini Martyris auditor scripsit multa, quæ perierunt; extat tamen, in fine operum sancti Iustini, oratio eius ad Græcos, in qua de comico Histrione dicit, quòd est, *præclararum actionum calumniator, adulterij promotor, insanæ auaritiæ commendator, cinædorum doctor, condemnandorum auctor, &c.*
85 Deinde Græcos reprehendens, quia Theatrum laudarent, ait, *quid, obsecro, fit apud vos egregium, aut admiratione dignum? obscæna verba naso resonante effutiunt, & motibus indecentibus agitantur, & adulteriorum*

in

in scena Magistros filiæ, & filij vestri spectant, &c.

Anno 204. Clemens Alexandrinus 86
*lib.3.Pedag.cap.*11. de interessentibus Theatro, sequentia scripsit. *Dum lasciuiunt oculi, calescant appetitiones, & oculi proximos impudentius respicere assuefacti, quòd concessum otium habeant, incendunt cupiditates. Prohibeantur ergo spectacula, & acroamata, quæ nequitia, verbisque obscænis, & vanis temerè profusis plena sunt*, &c.

Et in Orat. adhortat. ad gen. 87
post longam eorum descriptionem, quæ à Poëtis in scena de impurissimis gentium Diis repræsentantur, dicit; *Deorum itaque nuptiæ, & liberorum procreationes, & puerperia, & adulteria quæ canuntur, & conuiuia, quæ à Comicis recitantur; & risus, qui* 88
in potu inducuntur, incitant me, vt vociferer, etsi velim tacere. O impietatem; scenam cœlum fecistis; & Deus vobis factus est actus; & quod sanctum est, Dæmoniorum personis ludificati estis: verum Dei cultum, ac religionem, dæmonum superstitione libidinosè, & obscænè.

scanè inquinantes. Cane nobis, ô Homere pulchram aliquam cantilenam.

Sed pulsans cytharam pulchrè is præludere cœpit.

89 *Furtiuum pulchra Venerisque & Martis amorem;*
Vulcani in tecto, vt fuerit congressus amantum
Primum, & per multa incestarit dona cubile
Vulcani Regis, &c. Hom. Odyss.8. vers.266.

Desine canticum Homere, non est pulchrum, docet adulterium. Nos autem, ne aures quidem stupris, ac fornicatio-
90 *nibus inquinare volumus. Sumus enim nos; sumus, qui Dei imaginem circumferimus in hoc viuo simulacro homine, &c.*

Anno 211. Minutius Felix in Octauio antiquus Ecclesiæ Scriptor, & Tertulliano coæuus. *In ludis curulibus, quis non horreat populi in se rixantis insaniam; in gladiatoriis ho-*
91 *micidiis disciplinam? in scenicis etiam minor furor, turpitudo prolixior: nunc enim Mimus, vel exponit adulteria,*

vel monstrat: nunc eneruis Histrio, amorem dum fingit, infligit, &c.

Anno 246. Diuus Cyprianus epistol. 2. ad Donatum loquens de Theatro, dicit: *Delectat in Mimis turpitudinum magisterio, vel quid domi gesserit, recognoscere, vel quid gerere possit, audire; adulterium discitur dum videtur; lenocinante ad vitia publicæ honestatis malo; quæ pudica fortassè ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo reuertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum somenta, quæ incitamenta vitiorum histrionicis gestibus inquinari? Euirantur mares, honor omnis, & vigor sexus eneruati corporis dedecore mollito; plusque illis placet quisquis visum in fœminam magis fregerit, laudem consequitur ex crimine, & peritior, quo turpior iudicatur*, &c. *Quid non possit suadere, qui talis est? mouet sensus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conscientiam fortiorem; nec deest probri blandientis authoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat, &c.* Idem epist. ad Euchratium,

92

93

94

tium; de quodam histrione, qui iam in scenam prodire cessauerat, ait: *Nec excuset se quisquam, si à Theatro ipse cessauerit, cum tamen hoc cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse,*
95 *qui vicarios substituit, & qui pro se vno plures succidaneos suggerit: contra institutionem Dei, erudiens, & docens, quemadmodum masculus frangatur in fœminam, & sexus arte mutetur, & Diabolo Diuinum plasma maculanti, per corrupti, atque eneruati corporis delicta placeatur,* &c.

96 Et lib. de spectac. *Quid scriptura interdixit? prohibuit enim spectari quod prohibet geri: omnia, inquam, ista spectaculorum genera damnauit, quando idololatriam sustulit ludorum omnium matrem, vnde hæc vanitatis, & leuitatis monstra venerunt. Quid enim spectaculum sine idolo. Quis ludus sine sacrificio. Quid certamen, non consecratum mortuo. Quid inter hæc Christianus fidelis facit? si idololatriam*
97 *fugit, quid loquitur? Qui iam sanctus sit de rebus criminosis voluptatem capit? Quid contra Deum superstitiones probat,*

probat, quas amat, dum spectat? Caterum sciat, hac omnia inuenta Dæmoniorum esse, non Dei. Impudenter in Ecclesia dæmonia exorcizat, quorum voluptates in spectaculis laudat; & cum semel illi renuncians, recisa sit res bis in baptismate; dum post Christum, ad Diaboli spectacula vadit, Christo, tanquam diabolo renuntiat. 98
Idololatria ludorum omnium mater est, quæ, vt ad se Christiani fideles veniant, blanditur illis per oculorum, & aurium voluptatem. Romulus Conso, quasi consilij Deo ob rapiendas Sabinas Circenses primus consecrauit. Cæterum reliqui, dum Vrbem fames occupasset, ad aduocationem populi acquisiti sunt ludi scenici, & Cereri, & Libero dicati: Postmodum reliquisque idolis, & mortuis. Græca illa certamina, vel in cantibus, vel in fidibus, vel in vocibus, vel in viribus Præsides suos habent varia dæmonia. Et quicquid est aliud, quod spectantium, aut oculos mouet, aut delinit aures, si cum origine sua, & institutione quæratur, causam præfert, aut idolum, aut dæmonium, 99 100

aut

aut mortuū;ita Diabolus artifex, quia idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit, vt per voluptatem posset amari; sed, vt ad scenæ iam sales inuerecundos transitum faciam, pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accusare quæ fiunt, agentium strophas, adulteriorum fallacias, mu-
101 *lierum impudicitias, scurriles iocos, parasitos sordidos, ipsos quoque patresfamilias togatos, modo stupidos, modo obscænos, in omnibus stolidos, certis nominibus inuerecundos,*&c. *Quid inter hæc Christianus fidelis facit? cui vitia non licet, nec cogitare?* &c. *Discit facere, dum consuescit videre,* &c. *Fugienda sunt ista Christianis fidelibus,*
102 *vt frequenter diximus, tam vana, tam perniciosa, tam sacrilega spectacula; & oculi nostri sunt, & aures custodiendæ. Cito in hoc assuescimus, quod audinimus scelere: nam cum mens hominis ad vitia ipsa ducatur, sibi quid faciet, si habuerit exempla naturæ corporis lubrica; quæ sponte corruit, quid faciet impulsa? Auocandus est*
103 *animus ab istis,* &c. *Vir infra virum iacens,*

iacens, & amplexus inhonestis nexibus implicatur, &c.

Anno 285. Lactantius Instit. lib. 6. cap. 20. *Histrionum impudicissimi motus, quid aliud, nisi libidines, docent, & instigant: quorum eneruata corpora, & in muliebrem incessum, habitúmque mollita, impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur? quid* 104
de Mimis loquar, corruptelarum præferentibus disciplinam, qui docent adulteria dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera? quid iuuenes, aut virgines faciant, cum & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? admonentur vtique quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ aspectu maximè communicatur, ac se quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probántque illa dum rident, 105
& adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula reuertuntur, &c.

Anno 314. In Concilio Arelatensi 1. cap. 5. sancitum est, his verbis: *Vt, qui in Theatris conueniunt, excommunicentur.* Alia littera habet, *de Theatricis, & ipsos placuit, quandiu,*

diu, agunt, à communione separari.

106 Anno 326. Eusebius Cesariensis de præparat. Euang. lib. 7. cap. 3. *Si Theatra aliquis sequitur, in ipso malignitatis profundo mergitur,* &c.

Anno 359. Sanctus Ephrem Paranesi prima, parum à principio. *Diabolicorum spectaculorum strepitum, ô Monache fugito; quoniam in eo dæmonum est deceptio,* &c.

107 Anno 361. Sanctus Gregorius Nazianzenus Iambico tertio, inter plura contra Theatrum, & Comœdias scripsit sequentia.

Schola fœditatis omnis, & lasciuiæ
Queis artis est pars, perpeti, & facere omnia,
(Idque ante visus omnium) quæ non licet.
At rursus alij, natio infœlicior,
Famam, decúsque turpiter marium exuunt,
108 *Sexum, & virilem flexibus cum corporis*
Frangunt: simul sunt fœminæ, & simul mares;

Non

Non masculi, non fœminæ, falsa haud loquor;
Nam non manent iam masculi, nec fœminæ
Fiunt; nec etenim moribus, quod sunt manent:
Natura rursus esse quod student, negat.
Ænigma luxus, ac gryphus libidinum;
Et fœminis viri, viris & fœminæ. 109
Quid cantionum turpium morbos loquor,
Versúsque, neruos pectoris qui emolliunt,
Quid tibiásque, quid choros bacchantium,
Quibus ampla miseris pensitant quoque præmia:
Hæc suntne laude, sunt visu, & gaudio,
An digna potius lacrymis, & luctibus? 110

Anno 365. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. Mystagog. *Prima Pompa Diaboli est, in Theatris specta*

spectacula, in hyppodromo cursus equorum, & venationes & reliqua omnis eiuscemodi vanitas: à qua postulans liberari sanctus ille Dei. Auerte, inquit, oculos meos, ne videam vanitatem.
111 *Non ergo sis curiosus in frequentia spectaculorum, vbi conspicias Mimorum petulantias, omni contumelia, & impudicitia refertas, & virorum effœminatorum choreas scleris,* &c.

Anno 362. Hermius Sozzomenus histor. Eccles. lib. 5. cap. 16. scripsit, quod vt in subditis paganismum suum impius Iulianus Apostata in-
112 troduceret, curans, vt suæ falsæ religionis ministri Sacerdotes, modestia simulata clarerent, volebat, vt Christianam virtutem fingentes, Deorum tamen cultum promouerent: ideo scribens Arsacio summo Deorum Sacerdoti, inter alia hæc dixit: *Quotquot per Galatiam sunt Sacerdotes, vel terrendo, vel persuadendo, diligentes, & honestos reddas, vel à ministerio sacerdotali remoueas; si Deos vna cum*
113 *vxoribus, liberis, ac famulis non obseruauerint,* &c. *Deinde Sacerdotes hortare,*

hortare, vt neque ad Theatrum accedant, neque in tabernis bibant, nec artificio, & operi alicui turpi, ac probroso præsint, & qui in his rebus morem gerunt, eis honorem tribuito; qui autem resistunt, expellito, &c.

Anno 390. D. Ambrosius serm. 16. in Psalm. 118. vers. 128. ad ea verba: *Omnem viam iniquitatis odio habui.* Dixit: *Alius Circensibus ludis, atque* 114
Theatralibus sollicitatus voluptatibus, aut cæteris vanitatibus occupatus, Ecclesiam non frequentat; alium ruris quieta delectant, eaque causa ad Ecclesiam rarus accessus est. Itaque diuerso vsu in eundem deuotionis errorem vterque concurrit; sed qui omnem 115
viam iniquitatis odit, ad vniuersa corrigitur, & emendatur, &c.

Idem Orat. in funer. Valentin. Imperat. notat quam malè apud istum Principem personæ *scenicæ*, præsertim verò mulieres audirent, his verbis: *Scenicæ cuiusdam forma, ac decore, deperire adolescentes nobiles nuntiabantur: iussit ad Comitatum veniret. Missus pretio deprauatus, sine*

mandati

116 *mandati effectu rediit; alterum misit ne voluisse emendare vitia adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus. Deductam tamen nunquam, aut spectauit, aut vidit. Postea redire precepit: vt omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexerat*, &c.

117 Anno 390. Diuus Hieronymus epist.9. ad Saluinam scripsit: *Non ambulet iuxta te calamistratus Procurator, non Histrio fractus in fœminam, non cantoris diabolici venenata dulcedo, non iuuenis cultus, & nitidus, nihil artium scenicarum, nihil tibi in obsequium molle iungatur*, &c.

118 Anno 402. Diuus Ioannes Chrysostomus in cap.2. Matth. Homil.6. *Diabolus est, qui etiam in artem iocos, ludosque digessit, vt per hæc ad se traheret milites Christi, virtutisque eorum neruos faceret molliores: Propterea in vrbibus etiam Theatra construxit, & illos risuum, ac turpium voluptatum inuento*

inuentores parauit,& per illorum luem, 119
in vniuersam orbem talem excitat
pestem, quæ nos fugere Beatus præcipit
Paulus ad Ephes. cap. 5. suadens, vt
& stultitiam, & scurrilitatem à nobis
longius repellamus: ex quibus risus
multò perniciosior est, multóque dete-
rior; quando enim Mimi illi, atque
ridiculi blasphemum, ac turpe quid 120
dixerunt, tunc potissimum quique stoli-
diores soluuntur in risum; inde ap-
plaudentes magis, vnde etiam illos la-
pidibus exagitare debuerant, qui for-
nacem ignis horribilis, ex huiusmodi
voluptate in suum ipsorum caput suc-
cendunt; qui enim laudant ista, di-
centes ipsi eis hac exercere persuadent,
& idcirco ipsi potius propter hac me-
rentur subire, quod ob ista sancitum
est supplicium. Si enim nullus esset ta- 121
lium spectator, ac fautor, nec essent qui-
dem, qui aut dicere illa, aut agere cu-
rarent; quando verò vos cernunt, &
artes proprias,& ipsa exercendi quoti-
diani operis loca,& illum, quem ex his
paratis quæstum, & prorsus omnia si-
mul vanissimi illius spectaculi amore

122 *deserere: auidiori, & illi ad hæc intentione rapiuntur, studiúmque his maius impendunt; & hæc dico, non vt illos à crimine videar vindicare, sed vt vos discatis initium, & caput iniquitatis huius vos esse potissimum, qui totam prorsus diem in tam ridicula, támque perniciosa voluptate consumi-*
123 *tis, & honestum coniugij nomen, ac reuerendum in illud negotium publicatis.*

Non tam ille delinquit, qui illam simulat; quàm tu præ illo, qui hoc fieri iubes; nec solum iubes, sed etiam exultatione, risu, plausu, adiuuas quæ geruntur, omnibúsque prorsus modis hanc
124 *diabolicam confoues officinam. Quibus iam igitur oculis domi coniugem cernes, quam ibi in persona alterius, tantæ vidisti iniuriæ subiacere?* &c. *Neque verò istud mihi opponas, quòd iam, quicquid ibi fit simulatio, & fictum argumentum sit, non etiam veritas rerum; etenim simulatio ista plurimos adulteros fecit, & multas domos subuertit: proptereáque maximè gemo, quòd tam grande malum, hoc malum esse non cre-*
125 *ditur: sed quod est multò deterius; &*

fauor,

fauor, & clamor, & plausus adhibetur, & risus, cum in communem perniciem adulterium tam turpe committitur. Quid ergo ais, simulatio est illa, non crimen? & propterea mille illi mortibus digni sunt; quoniam quæ fugere, cunctæ prorsus imperant leges, ea isti non verentur imitari: si enim adulterium 126
malum est, mala est sine dubio eius imitatio.

Idem Chrysostomus in caput 11. Matth. homil. 38. *Quis est ille Theatralium hominum adeò magnus sonitus? Quis tantus tumultus? qui diabolici clamores? quis vestitus Satanicus? Alius cum adolescens comam ponè reductam habet, & naturam as-* 117
pectu, vestitu, incessu, cæterisque huiusmodi effœminando, ad teneriusculæ imaginem puellæ deducere contendit; Alius è contra cum sit senex, nouaculâ pilos, & pudorem omnem abrasus, cinctus assistens, ad dicendum, & faciendum omnia paratus est. Mulieres autem nudo, atque aperto capite populum absque rubore alloquuntur, tantáque 128
præmeditatione impudentiam adscis-

sunt, tantámque lasciuiam in audientium, atque videntium animos infundunt, vt vno omnes animo radicitus modestiam è mentibus euellere, dedecore muliebrem naturam afficere, perniciosa voluptate cupiditates suas implere, conari videantur. Cuncta enim, quæ ibi simpliciter fiunt, turpissima
129 *sunt, verba, vestitus, tonsura, incessus, voces, cantus, modulationes, oculorum euersiones, ac motus, tibiæ, fistulæ, & ipsa fabularum argumenta, omnia, inquam, turpi lasciuia plena sunt*, &c.

Idem homil. 62. ad populum. *In Theatro risus, ineptitudo, diabolicus fastus, effusio, temporis impendium, & superflua dierum consumptio: malæ cupiditatis inductio, adulterij meditatio,*
130 *fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, risus materia, inhonestatis exemplar*, &c.

Idem homil. 8. de pœnit. post exactam descriptionem incendij, à Theatrali lasciuia excitati, dicit: *Et quod nocentius est, neque ipsi, qui comburuntur, idipsum sentiunt: si enim sentirent, non iam effusum illum in his risum*

risum emitterent. Igitur id vel pessimum est malum, cum quis infirmatur, neque idipsum quod infirmatur, nouit; & misere ardens ærumnosum non sentit incendium, &c. 131

Idem homil. 1. in Psalm. 50. de Dauide, ex aspectu Betsabeæ, lapso, sic ait: Vidit mulierem se lauantem 2. Reg. cap. 11. num. 2. *Vidit Dauid, atque* 132
oculo vulneratus est, ac telum excepit; audiant curiosi, qui alienas formas contemplantur, audiant qui insano spectaculorum studio tenentur, qui dicunt, spectamus quidem, sed sine detrimento. Quid audio? Dauid læsus est, & tu non læderis; ille læsus est, & ego tuæ virtuti confidere queam? Is, qui tantam Spiritûs gratiam habebat spiculum excepit, & tu sauciari te negas? 133
Atqui ille scortum non vidit, sed honestam, & pudicam fœminam, idque non in Theatro, sed domi; tu vero in Theatro cernis, vbi etiam locus ipse animam supplicij ream efficit: nec tantum cernis, sed etiam audis improba verba, & meretricias, atque obscænas cantiones, omnique ex parte feritur

134 *mens tua, per aspectum, nempe ob ea,*
quæ vides; per aurem, ob ea, quæ audis;
per olfactum, ob ea, quæ odoraris;
& cum tot præcipitia sint tot corruptelæ,
qui credere queam, te à ferarum
morsibus esse immunem? num tu saxum
es? num ferrum? homo es communi
naturæ imbecillitati obnoxius. Ignem
135 *cernis, nec vreris? an hoc istud rationi*
consentaneum est? Lucerna in fœnum
pone, ac tunc aude negare, quòd fœnum
exuratur; quod porro fœnum est, hoc
nostra natura est, &c.

Anno 408. D. Augustinus lib. 1. de
Symbol. ad Cathecum. ita: *Quare*
quotidie muscipulam spectaculorum,
insaniam studiorum, ac turpium voluptatum
proponit aduersarius, nisi, vt
136 *his delectationibus capiat, quos amiserat,*
ac lætetur denuo, se inueniffe quos
perdiderat? &c.

Idem lib. 3. confess. cap. 2. describit
malum, quod sibi Theatro assistenti
inhonesta verba, & actus causabant,
licèt de re ficta, & sic: *Tunc in Theatris*
congaudebam amantibus, cum sese
fruebantur per flagitia, quamvis hæc

imaginariè gererentur in ludo specta- 137
culi, &c.

Idem lib.1.de Ciuitate, cap.32.de vrbe Roma, & ludis Theatralibus nuper introductis,sic: *Dij propter sedandam corporum pestilentiam, ludos sibi scenicos exhiberi iubebant: Pontifex autem vester (Romanos alloquitur) propter animorum cauendam pestilentiam, ipsam scenam construi prohibebat,* &c. *Neque enim, & illa corporum* 138
pestilentia ideo conquieuit, quia populo bellicoso, & solis antea ludis Circensibus assueto, ludorum scenicorum delicata subintrauit insania; sed astutia spirituum nefandorum præuidens illam pestilentiam iam fine debito cessaturam, aliam longè grauiorem, qua plurimum gaudet, ex hac occasione non corporibus,sed moribus curauit immittere, quæ animos miserorum tantis ob- 139
cæcauit tenebris, tanta deformitate fœdauit,vt etiam modo, quod incredibile forsitan erit, si à nostris posteris audietur, Romana vrbe vastata, quos pestilentia ista possedit,atque inde fugientes, Carthaginem peruenire potuerunt, in

Theatris quotidie certatim pro histrionibus insanirent, &c.

140 Idem lib.2. de Ciuit. cap.14. inquit: *Platoni danda est palma, qui cum ratione formaret qualis esse Ciuitas debeat, tanquam aduersarios Ciuitatis Poëtas censuit vrbe pellendos,* &c.

Diuus Augustinus, qui suprà lib. 1. de consens. Euangelist. cap. 33. *Cicero cum Roscium quendam laudaret hi-*
141 *strionem, ita peritum dixit, vt solus esset dignus, qui in scenam deberet intrare: ita virum bonum, vt solus esset dignus, qui eò non deberet accedere; quid aliud apertissimè ostendens, nisi illam scenam esse tam turpem, vt tantò minus ibi esse homo debeat, quantò fuerit magis vir bonus,* &c.

142 Anno 418. in Concilio Carthaginensi septimo, cap.2. *Omnes infamiæ maculis aspersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subiectæ personæ, hæretici etiam, siue Pagani, siue Iudæi ab accusatione prohibentur.*

Anno 442. Sanctus Isidorus Pelusiota Diui Ioannis Chrysostomi discipulus lib.5. epist.186. Græcorum filios

filios ad virtutem Christianam hortatur pluribus argumentis, & tandem iis, quæ sequuntur alloquens, ait:*Virtus ergo exercenda, quod si non-* 143
nullis difficile, ac molestum videbitur, vobis sanè facile erit, si Theatra, hoc est, communem vniuersi totius pestem fugietis: dicam amplius non vniuersi modò; sed & vrbium, in quibus ea exhibentur spectacula, &c.

Anno 474. Salvianus Episcopus Massiliens. lib.6. de gubernat. Dei.
Alia crimina singulas sibi fermè in 144
nobis vendicant portiones; vt cogitationes sordidæ, animum; vt impudici aspectus, oculos; vt auditus improbi, aures; ita vt, cum ex his vnum aliquid errauerit, reliqua possint carere peccatis. In Theatris vero nihil horum reatu vacat; quia & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu
oculi polluuntur: quæ quidem omnia 145
tam flagitiosa sunt, vt etiam explicare ea quisquam, atque eloqui, saluo pudore non valeat, &c. *Alia quoque omnia mala agentes polluunt, non videntes, vel audientes: siquidem etsi blasphe-*

mum quempiam audias, sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis: etsi interuenias latrocinio, non inquinaris
146 *actu, quia abhorres animo; sed spectaculorum impuritates sunt, quæ vnum ad modum faciunt, & agentium, & aspicientium crimen. Itaque in illis imaginibus fornicationum, omnis omnino plebs animo fornicatur, & qui fortè ad spectaculum puri venerant, de Theatro adulteri reuertuntur,* &c.

147 Idem lib.6. de gubernat. Dei. *In spectaculis quædam Apostasia fidei est, & à symbolis ipsius, & cœlestibus Sacramentis lethalis præuaricatio. Quæ est enim in baptismo salutari prima Christianorum confessio? quæ scilicet, nisi, vt renuntiare se diabolo, ac pompis eius, atque spectaculis, & operibus protestentur? Ergo spectacula, & pompæ, etiam iuxta nostram professionem,*
148 *opera sunt diaboli. Quomodo, ô Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opera esse diaboli confiteris? renuntiasse semel diabolo, & spectaculis eius, ac per hoc necesse est prudens, & sciens, dum ad spectacula remeas,*

ad

ad diabolum te redire cognoscas; vtrique enim rei simul renunciasti, & vnum vtrumque esse dixisti. Si ad 149
vnum reuerteris, ad vtrumque remeasti; abrenuntio, inquis diabolo, pompis, spectaculis, & operibus eius. Et quid plura? credo, inquis, in Deum Patrem Omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius; ergo primum renuntiatur diabolo, vt credatur Deo: quia, qui non renuntiat diabolo, non credit Deo: & ideo qui reuertitur ad diabolum, relinquit Deum: diabolus autem in spectaculis est, & pompis suis, ac per 150
hoc cum redimus ad spectaculum, relinquimus fidem Christi.

Nota quanta constantia asserat Saluianus, accedentes ad Theatrum, esse fidei desertores.

Idem Saluianus lib. 6. de gubernat. Dei. *Colitur, & honoratur Minerua in Gymnasiis, Venus in Theatris, Neptunus in Circis, Mars in Arenis, Mercurius in Palestris; & ideo pro qualitate auctorum cultus est superstitionis: quicquid immunditiarum est, hoc exer-* 151
cetur in Theatris: quicquid luxuria-

rum,

rum,in palestris ; quicquid immoderationis, in Circis : quicquid furoris, in Caueis;alibi est impudicitia, alibi lasciuia, alibi intemperantia, alibi insania ; vbique Dæmon ; imò per singula ludicrorum loca vniuersa Dæmonum monstra : præsident enim sedibus suo cultui dedicatis, &c.

152 Anno 680. Sexta Synodus can.52. *Omnino prohibet hæc Sancta, & vniuersalis Synodus,eos,qui dicuntur Mimi,& eorum spectacula.*

Anno 900. Olympiodorus ad ea verba Eccles. cap.14.18. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, ait, *Si de corporali pede dictum intelligas,*
153 *custodi, inquit,totum corpus tuum (à parte enim totum significat) ne instrumentis eisdem, quibus templum Dei frequentas, Theatrales adito ludos, & obscæna spectacula, & impia bona*, &c.

Anno 1082.Hugo Episcopus Gratianopolitanus, vt refert Surius in vita, die prima Aprilis. *Procul non à mensa tantum eius, sed à totis etiam atriis histriones, tanquam vasa perditionis,*

ditionis, & organa falsitatis ablegabat.

Anno 1350. Franciscus Petrarcha Dial.30. postquam de Circo, & de Theatro dixerat, addit sequentia. *Duo loca bonis semper aduersa moribus fuisse, notissimum; quò quisquis malus ierit, redibit pessimus: nam bonis iter illud ignotum est; qui si casu aliquo ignari adeant, contagio non carebunt, &c.* Et idem ibid. agens de Comœdia 154
venali, dicit: *Rem esse, quæ nec honestè* 155
geritur, nec honestè cernitur; nec facilè dictu est, an lusor infamior, an spectator; & an scena sit turpior, an Orchestra: nisi quòd in illam sæpè quidem paupertas, in hanc semper vanitas trahit, &c.

Anno 1440. Alphonsus Tostatus Episcopus Abulens. *in cap.6. Matth. quæst.*38. post discursam difficultatem, an meretrices de turpi lucro,
possint facere eleemosynam; propo- 156
nit eandem, an histriones, & Mimi de acquisitis per istas artes, possint eleemosynam elargiri? & respondet affirmatiuè, ita: *Ipsi tamen turpiter acquirunt, id est, ex turpi officio, scilicet*

cet mentiendo, & adulando, & alia inhonesta faciendo; & ideo sunt infames, cap. Definimus 4. q.1. *vnde ibi prohibentur ab accusando sicut cæteri*
157 *infames; & non solum ipsi; sed etiam illi, qui adhærent eis, sunt infames: si enim pueri præter voluntatem parentum Mimis, & Arenariis, vel Histrionibus se sociant exhæredari possunt; isti etiam Histriones, & Mimi, non possunt promoueri ad sacros Ordines*, dist.33. cap. Maritum, *& etiamsi confiteantur, dum tamen manent in officio isto, non datur eis Corpus Christi*
158 de consecr. dist.2. cap. *Pro dilectione; & sic prohibetur omnibus peccatoribus publicis, quandiu sunt in peccato: vnde isti reputantur tanquam publici peccatores, & vituperantur valdè illi, qui erudiunt aliquos, ad istam artem: nam dicuntur magistri puerorum perdendorum, & non erudiendorum*, cap.
159 eod. *Vnde dare istis aliquid, peccatum est, vt dicit Augustinus super Ioan. &* dist.86. cap. Donare, *scilicet donare res suas Histrionibus vitium est immane, non virtus*, &c. *Quantumcunque ergo*

ergo vita istorum sit turpis, & lucrum de re turpi, quia tamen efficiuntur domini eorum, quæ lucrantur, possunt eleemosynam facere,&c. *& est idem de eleemosyna meretricis,* &c.

Anno 1560. In Concilio primo Prouinciali Mediolanens. Sanctus Carolus Borromæus Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolani, de histrionibus decreuit his verbis: *Principes, & Magistratus commonendos esse duximus, vt histriones, Mimos, cæterosque circulatores, & eius generis perditos homines, è suis finibus eiiciant, & in Caupones, & alios quicunque eos receperint acriter animaduertant,*&c. 160

Anno 1580. Pater Franciscus Ribera Societatis IESV Comm. ad Mich. cap. 1. num. 63. postquam retulit, quæ Diuus Cyprianus de Comicis scriptum reliquit, suo tempore ludentibus, cum omni turpitudine, & scandalo, sic nostri temporis immodestiam deplorat. *Quid faceret,* inquit, *Diuus Cyprianus, si nunc in Christianorum Theatris sederet? si* 161

comœ

162 *comœdias, quæ aguntur, spectaret? non iam euirantur mares, sed fœminæ ipsæ viri fiunt; non frangitur in fœminam vir, sed fœmina in virum roboratur. Non satis fuit humani generis hosti, fictas turpitudines agi, veras profert; fœmina prodit in scenam, & fœminam agit, quæ à viro agi solebat; & minus mouebat; nunc compta, atque ornata prodit in medium, pulchra Mima cor-*
163 *pore, sed moribus turpissima, vt incendia maiora excitentur; agit etiam eadem virum, aut amore captum adolescentulum, luget, deperit, perdit, exhibet oculis, quæ cælari in fœminis debuerant, & quæ honestè dici non possunt, inhonestè cogitantur*, &c. *Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ*, &c.

164 Anno 1583. Quia verò de anno præsenti Comici quidam venales Mediolanum venerant suas comœdias acturi, & iam ab Excellentissimo tunc temporis Gubernatore licentiam agendi impetrauerant, iam semel egerant in scena, Gubernator aduertens tenorem supradicti Decreti

ereti à Sancto Archiepiscopo emanati, præcepit illis, vt desisterent, & 165
in posterum obtenta iam à se licentia non vterentur, nisi ab Eminentissimo Archiepiscopo prius venia concessa; his auditis Sanctus Carolus, re maturè, & cum viris doctis considerata, decreuit primò, Comœdias posse repræsentari, si obseruarentur ea, quæ Sanctus Thomas docet *2.2.quæst.168. art.3. in O. & ad 3.* deinde Comicis mandauit, vt singulis diebus, quas comœdias agere vellent, prius in scriptis redactas, 166
ostenderent Ministris in sua Archiepiscopali curia ad id specialiter deputatis. Ita Nicolaus de Barbeiiis, vulgo dictus Beltrame, Comicus insignis illorum temporum, testatur suo opere typis edito, pro excusatione sui, & aliorum, qui artem histrionicam, seruatis modestiæ regulis profitentur; & refert Pater Ioannes Do- 167
minicus Ottonellius in suo eruditissimo libro inscripto *de Christiana moderatione Theatri*; *lib.1. cap.1. q.6.* & *lib.2. cap.2. punct.24. fol. mihi* 146.

Panormi

Panormi introducta est consuetudo, & decretum publicatum, vt Superior subscribat actioni recitandæ.

168 Anno 1612. Benedictus Fernandius Societatis Iesv *tom.3.in Gen.cap.34.1. sect.2.num.de Theatro*, ait: *Hæc planè sunt maria naufragiis animarum infestissima: nec vsquam alibi, quàm in circis, in ludis, in Theatris, in spectaculis, in pompis, in cœtibus, in conuentibus mortalium vtriusque sexus, vehementius accenditur libido spectantium,*

169 *& colloquentium: atque animi titillantium illecebrarum telis acerbiùs vulnerati, Christianæ modestiæ, & temperantiæ miserandam faciunt iacturam.*

Anno 1650. De Patre Antonio Brignola Societatis I e s v in vita, *Pater Ioannes Maria Vicecomes, c.1.* refert: Quod adhuc vitam sæcularem viuens, vbi primùm nouit, primogenitum suum filium semel comœdiæ ab histrionibus venalibus actæ in

170 sua Ciuitate, & Patria Genuensi interfuisse: veritus, ne ex repetita secunda vice comœdiæ auditione, irreparabile damnum adolescens incurreret,

curreret, ſtatim remedium, licèt ſibi incommodum, & diſpendioſum, excògitauit. Secum igitur extra Ciuitatem, & Patriam filium exulare fecit,& eo titulo, vt ſecum præcipuas 171
Italiæ Vrbes perluſtraret, de medio ſuſtulit; & tandem hoc itinere maturè peracto, filium amico ſuo Peruſiæ cuſtodiendum tradidit, mandans, ne vllis, licèt grauiſſimis ſumptibus parceret, qui eſſent neceſſarij, vt filius omnem prauam, & pernicioſam amicorum conſuetudinem euitaret; & tandem Peruſiæ filio relicto,ad Patriam remeauit. 172

Classis

Classis III.

173 *In qua afferuntur Theologi Scholaſtici, & Morales, qui contra obſcænas comœdias, eodem ferè irato calamo, ſcripſerunt.*

Authores, qui nullam religionem ſunt profeſſi.

Gabriel Biel. *in* 4. *diſt.*15. *art.*3. de ludorum inſpectoribus habet hæc verba: *Aut inſpectores dant cauſam ludo, vt quia ideo luditur, vt oſtendatur virtus, vel idoneitas ludentium:*
174 *quod non fieret, niſi eſſent inſpectores, vt fit in ludis Theatralibus haſtiludiis, choreis, & ſimilibus: & dicendum ſicut de cooperatoribus ſtatim dicetur: aut inſpectores non dant cauſam, puta, quia æquè fierent, ſi non adeſſent inſpectores; vt in ludo alearum: & tunc dicitur,*

citur, quod inspectores peccant quidem venialiter; rebus enim turpibus, & prohibitis intendunt ; non tamen peccant 175
mortaliter, nisi consentiant ludentibus ludos prohibitos: nam consentiens mortalibus peccat mortaliter, secundum illud Apostoli ad Rom. cap.1. non solum facientes, sed & facientibus consentientes, &c.

Ioannes Medina in Codice de rebus restit. quæst.21. ludus de se licitus potest multipliciter vitiari ; videlicet 176
ratione prohibitionis, &c. *Potest etiam per circumstantiam deprauari, vt si fiat cum verbis, aut factis turpibus*, &c. *& §. ad quartum*, ait, *Dicendum, quòd histrionatus, prout ordinatur ad solatium hominum, non est de se illicitus: nec histriones ob id condemnandi sunt; modo illo officio, moderatè vtantur, & aliæ circunstantiæ, quæ ludum vitiare possunt, amoueantur, &c.* inter alias 177
circunstantias recensuit verba, & facta turpia.

Lælius Zecchius *tract. de pœnit. cap.1. propos.7. vers. & ideo*, &c. *Ratione personæ, illiciti sunt huiusmodi ludi, si*

si clerici sunt, quos oportet Deo inseruire: & ideo ratione scandali in eis est mortale; quo cessante, vt tempore pestis, in eis non est mortale, & ita ex prædictis, ars comœdiarum, si fiat modera-
178 *tè loco, & tempore, & à personis congruis, id est, laicis, cum ordinetur ad solatium hominibus exhibendum, quod iis quandoque est necessarium, non est illicita. Aliàs si fiant tempore pœnitentiæ, vel in Ecclesia, vel cum habitibus Religiosorum, in contemptum Religionis, qui inde sequitur, vel à personis Ecclesiasticis, sine causa rationabili, & cum scandalo, vel cum iniuria Dei,*
179 *& proximi, verbis turpibus, vel actibus repræsentantibus turpia, incantationibus, aut iniuriosa dicendo,* &c. *Sunt mortalia: & huiusmodi communio denegatur*; c. Pro dilectione, de consecr. dist. 2. *Nec sunt absoluendi, nec talibus licet aliquid dare*; c. qui venatoribus, dist. 86. *aliàs est mortale, cum sic ij foueantur in suo peccato, & cooperetur*
180 *quis illorum peccato*, &c. *Ita Sanctus Thomas* 2.2. quæst. 168. art. 3. *& ibi latè Caietanus* Syluester V. Ars. §. 7.
&

& Plato lib.6. & 9. de legibus, *vbi mandat, huiusmodi obscœna publicè dicentes tanquam morum corruptores, è Ciuitatibus pellendos; & ideo cum hodierna die passim, hac arte abutantur, & obscœna vbique misceant; Deum timenti huiusmodi spectacula fugienda sunt; & ij, à piis Principibus essent è* 181
Ciuitatibus pellendi, vel præficiendi viri graues, qui prius iuxta Platonis sententiam eorum dicta, & facta spectarent, & approbarent,&c.

Bartholomæus Vgolinus de offic. & poteſt. Epiſc.c.8.n.12. *Vbi hæc spectacula referenda sunt, vel comœdiæ recitandæ, inspiciendum est, ne contra bonos mores sint: id quod in primis erit Epis-* 182
copi munus: non solum enim potestatem habet supra peccatum, sed etiam vbi peccati periculum est, &c.

Martinus Bonacina de matrim. quæſt.4. punct.9. num.11. ait: *Si Comœdiæ turpia repræsentent, est peccatum mortale illis interesse, cum delectatione rerum narratarum, vel cum periculo delectationis, vel alterius peccati grauis. Non est verò peccatum mor-* 183
tale,

tale, interesse Comœdiis, quæ ob solam vanam curiositatem audiuntur, &c. & n.23. *Patet, componentes, & repræsentantes Comœdias, quæ continent res valdè turpes, & excitantes ad libidinem, peccare mortaliter, quia dant causam ruinæ, quamvis illam non intendant,* &c.

184 *Augustinus Barbosa* lib. 1. de iur. Eccles. vniuers. cap. 40. n. 56. & seqq. *Clerici spectacula, comœdias, fabulas. choreas, Hastiludia, & alia his similia vitare tenentur.* Auth. de Sanctiss. Episc. §. interdicimus cap. 1. dist. 35. & cap. non oportet, de consecr. dist. 5. cap cum decorem, & cap. penult. de
185 vit. & honest. Cleric. ne Clerici, vel Monach. cap. inter dilectos, de excess. Prælat. *Vgolin.* d. c. 13. §. 30. num. *Non igitur licet Clericis interesse Comœdiis, cum, vt plurimùm sint de rebus lasciuis, & turpibus, & amoribus mundanis, prouocantibus auditores ad malum, & libidinem; ac spectatores suo accessu, & præsentia causam afferant scenicis turpia agendi. Petrus de Guzman.* in lib. Bienes dell' honesto trabajo, y daños

daños de la ociositad. discursu 6.§.7. 186
Paulus Comit. respons. moral. lib.5. quæst.11.num.8.cum seqq.*vbi à principio illius quæstionis probat, Comœdiarum impudicarum Actores mortiferi criminis esse reos,eosque ob id damnant Petr. Gregor.* Syntagm. lib.39. cap.15. *Ribadeneira* lib.1.de la tribulacion cap.11. *Pineda* part.1. de la agricultura dialog.5. à §.25. *Petr. de Guzman*.discursu 6.§.2.pag.276.*Ioan.* 187
Valer. de differ. inter vtrumque forum V. peccatum,differ.25. *Verùm si Comœdias audiant ob solam vanam curiositatem absque periculo probabili lapsus, etiamsi res turpes repræsententur, & modus repræsentandi sit turpis, ego puto, non esse peccatum mortale, cessante scandalo; quod existimo,modo* 188
non esse, quia frequentissimum est Clericis, Comœdiis interesse, &c.

Sed hæc limitatio de cessatione scandali,quanti sit facienda,commodiùs *infrà discursu 9. num.503.* examinabo, vbi contra aliquos Theologos eandem impugnabo.

Ioannes Ægidius Trullench.Sacræ

Theologiæ Doctor in praxi Sacramentorum, lib.3. cap.7. dub.3. num.5.

189 *Publicus peccator censetur histrio, qui recenset turpes comœdias, & prouocat spectantes ad peccatum: hic enim non est absoluendus, nec minus communicandus, nisi officio dimisso; si tamen exercet sine peccato mortali, non esset arcendus à communione, vt benè cum Paludano tenet Filliucius.*

190 *Franciscus Verde in Neapolitano Gymnasio sacrorum Canonum Professor*, in lib. inscripto. *Positiones selectæ nouitatis* &c. *impresso Lugduni Anno* 1662. *quæst.* 4. §. 13. *num.* 135. Quærit, an interesse Comædiis, in quibus turpia repræsentantur, sit mortale? & respondet. *si sola sit curiositas, ob quam quis adest, culpa non videtur lethalis,* &c. Sentit ergo hic Author, quòd simpliciter, &
191 absolutè nulla addita conditione, quæ intentionem restringat ad modum illum artificiosum interesse huiusmodi Comædiis, est culpa mortalis.

Ex Religione S. Benedicti.

*Illustrissimus, & Reuerend. Dominus meus, Dominus Ioannes Caramuel Episcopus olim Satrianensis, & Campaniensis, nunc Viglebanens. in Theologia Regulari, disp.*67.*n.*1037. ait: *Ioannes permittit se morositati leui, cum intentione cessandi, ante quam illa sit magna; peccatnè mortaliter? sublato periculo respondeo negatiuè, sed periculum ibi est notorium, & vix euitabile. Quòd si Ioannes cognoscat aliàs credidisse se leui morositati, & cessauisse postmodum sine assensu aliquo sensualitatis vlterioris, probabiliter iudicare poterit, se etiam in præsenti maiori morositati non assensurum esse. Sed hoc licet dicatur, est sanè theoricum, ac propterea vix possibile in Praxi, &c.* & num.1023. dixerat, quod *delectatio exterior corporea est, nempe illa extrinseca, quæ consistit in spirituum naturalium commotione, &c.* & numero 1034. *Hæc delectatio corporea semper est mala, quia ex natura sua* est

192 193 194

est inceptio continentiæ, &c.

Et in Theologia Fundamentali n.1649. *Delectationes morosas in duas species*, inquit, *aut modos subalternos distinguis; vel enim illam cogitationem concomitatur aliqua morosa delectatio in sensu, ex humorum seminalium alte-*
195 *ratione suborta; vel nulla delectatio sensualis, & libidinosa concomitatur; vel si qua percipitur, est purè speculatiua, & ad lineam actuum purè spiritualium spectans, &c.* Hac distinctione, & explicatione præmissa, ait num.1650. *Cogitationem illam spiritualem, quam concomitatur delectatio morosa sensibilis, ex commotione humorum seminalium subnascens, esse peccatum mortale, etiamsi nolis libidi-*
196 *nem actu externo complere, etiamsi nolis tangere personam, quam cogitas; & ratio est, quia omnis delectatio sensualis libidinosa est initium mollitiei, aut saltem ad effusionem seminis ordinatur*, &c.

Et num.1651. *Hinc patet, quid dicendum sit de lectione carminum lasci-*
197 *uorum, quid de auditione comœdiarum,*

rum, quid de colloquio cum personis alterius sexus : in his enim omnibus nemo caret delectatione (aliàs illa non faceret) sed examinare debebit vnusquisque qualem delectationem patiatur: si enim est libidinosa, condemnabitur peccati mortalis : si autem sit purè spiritualis, aut etiam in sensibus castis consistens (recreant enim intellectum acumina, risum auditúmque immacu- 198
lata obiecta) modo absit consentiendi in rem turpem periculum, non erit peccatum mortale, &c.

Iacobus de Graffiis lib.2.decis. aure. cap.120. num.5. Qui fuit aliquando maior Pœnitentiarius in vrbe Neapoli, ait : *Est prohibitus ludus, quando probabile est periculum animæ suæ, vel alterius, & hoc mortale, vt in choreis crebrò accidit ; & generaliter, quoties in se continet turpitudinem, &c.* Et num.6. *Prohibetur etiam ludus histrio-* 199
num, qui inservit ad prouocandos homines ad ridendum, vt scurræ; & generaliter ratione honestatis omnis ludus, in quo ex propriá persona quis facit ludum in publico : nam in occulto ra-

tione infirmitatis, vel alterius honestæ rei causa, aliquid ioci facere non repro-
200 *batur : facit quod notatur de Cytharistis, & iis, qui variis instrumentis vtuntur*, dist.86. cap.Donare ; iuncta Glossa, &c.

Gregorius Sayrus Claui Regia lib.11. cap.12. num.3. *Quamvis ludus ex se honestus sit ; in multis tamen casibus illicitus esse potest. Primò enim ratione materiæ illicitus est, si materia ludi*
201 *obscana, vel irreligiosa sit, cuiusmodi in sacris litteris illi reprehenduntur.* Exod.32. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere* ; & Iob.3.16. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia ; nunquam cum ludentibus miscui me.*

Ex Religione Carmelitarum.

P.Ioan. Baptista de Lezana tom.1.
202 *quæst. Regular.cap.*10.*num.*2. Quærit, An assistere Comœdiis Religiosos, sit peccatum mortale ? & respondet sub distinctione; vel tales Comœdiæ, *res lasciuas, turpes, aut impudicas conti*

continent, aut non. Si primum; vix excusari possunt à mortali; tum ratione scandali, quod sæpius interuenit: tum ratione periculi lapsus, quod sæpius etiam contingit: tum quia etiam iis cessantibus, ratione voti castitatis tenen- 203
tur huiusmodi obscæna fugere, & detestari, &c. *Optimè etiam in Constitutionibus Religionum, id etiam est vetitum*, &c. *Casu tamen, quo cessaret scandalum, nec esset periculum lapsus, nec prohibitio specialis Religionis ad mortale obligaret, si Religiosus prædictis spectaculis assisteret, non ex affectu ad res lascivas, & venereas, quæ ibi agun-* 204
tur, sed ob solam vanam curiositatem, excusaretur à peccato mortali. Sanch. lib. 9 de matrim. disp. 46. n. 41.

Ex Religione *S. Dominici.*

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 167. art. 1. ad 2. *Inspectio spectaculorum vi-* 205
tiosa redditur, in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lasciviæ, vel crudelitatis, per ea, quæ ibi repræsentantur; vnde Chrysostomus hom 6.

in Matth. *dicit, quòd adulteros & inuerecundos constituunt tales inspe-ctiones.*

Caietanus in hunc locum habet hæc in responsione ad 2. *circa inspe-ctionem spectaculorum aduertendum,*
206 *quòd concurrunt ibi multa, scilicet re-præsentatio ipsa, & quoad hoc non est peccatum, quia naturaliter animum delectat, repræsentatio; vt Aristoteles dixit: res repræsentatæ, & quoad hoc, iuxta earum qualitatem sunt iudican-da. Nam si repræsentantur luxuriosa, aut crudelia, bonis moribus aduersan-tur, quia inductiua ex natura sua sunt*
207 *ad vitia, vt Chrysostomus in littera di-cit; sicuti è contra, si repræsentantur pia, aut Diuina consona pietatis, & re-ligionis virtutibus; & quoniam com-muniter qui intersunt huiusmodi spe-ctaculis delectationis causa adsunt; ideo si indecentia sunt quæ repræsen-tantur, non excusantur à peccato vi-dentes; dato, quod in veritate sola eos*
208 *repræsentatio delectaret; & ratio est, quia saltem dant exteriori actu operam rei illicitæ, scilicet delectabili præsentiæ*
de

de indecentibus. Præsentia siquidem illa exterior suaptè natura communiter fit ad delectandum animum, non de sola repræsentatione, sed de repræsentatis, vt patet. Præter hoc autem, grauius peccant viri graues ratione scandali, & mali exempli; grauissimè autem Cleri- 209 *ci, Religiosi, Sacerdotes, aut Pontifices in hoc delinquerent; & licèt ad indecentia spectacula præcognita nullus deberet accedere, etiam inuitatus; si tamen futuræ indecentiæ nescius, se ibi inuenerit, nec exire potest, imitetur Alipium, claudendo oculos, vt sic, & seipsum seruet, & quantum in se est, alios hoc facto moneat,* &c.

Idem Sanctus Thomas 2. 2. q.168. art.3. in O. *In ludo potest esse super-* 210 *fluum ex ipsa specie actionum, quæ assumuntur in ludo: quod quidem iocandi genus secundum Tullium, dicitur esse illiberale, petulans, flagitiosum, obscænum; quando scilicet vtitur aliquis causa ludi turpibus verbis, vel factis, vel etiam iis, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de se sunt peccata mortalia,* &c.

211 *Et ad tertium; officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum: nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo vtantur, id est, non vtendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum, negotiis, & temporibus indebitis*, &c. *Vnde illi, qui moderatè eis subueniunt, non peccant, sed iustè*
212 *faciunt, mercedem ministerij eorum tribuendo. Si qui autem superfluè sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quasi eos in peccato fouentes, vnde Augustinus dicit, quòd donare sua histrionibus, vitium est immane*, &c.

213 *Caietanus comment. in hunc art. vers. ad euidentiam, &c.* ad ea verba Sancti Doctoris, *quæ de se sunt peccata mortalia; non dicit quando quis vtitur verbis turpibus, vel factis absolutè: & similiter non dicit, quando quis vtitur iis, quæ vergunt in proximi nocumentum absolutè, sed cum ista restrictione subiuncta, videlicet, quæ de-*

de se sunt peccata mortalia. Sunt autem turpia verba de se mortalia, inuitatoria verba ad mortalem lasciuiam: nam si quis, vt aliis delectationem in- 214
gerat, mulierem inuitet ad adulterium, aut fornicationem, aut quod peius, committeret: tam iocus, quàm ludus peccatum mortale esset: turpiloquio autem simpliciter vtendo, aut aliquem minus honestum gestum faciendo, vt aliis delectationem ingerat, graue est, & fugiendum valdè, non tamen mortale ex suo genere, &c.

Idem Caietanus in summa V. spe- 215
ctacula. *Spectacula impudica, crudelia, aut irreligiosa, absque peccato non fiunt, & si notabiliter admixtum horum aliquid habent, mortale peccatum sine dubio incurritur à facientibus, & præcipientibus illa; spectantes autem si delectentur huiusmodi malis, proculdubio peccant mortaliter; delectatio* 216
enim de peccato mortali, est mortalis; si autem præter opinionem occurrit spectare quæ non placent, quilibet de se ipso rationem reddet, quare non recessit; & communiter videtur veniale

in

in huiusmodi casu, secluso scandalo, &c.

217 *Diuus Antoninus 3.p. tit.8. cap.4. §.12.* vbi docuit ex Diuo Thoma, histrionatum non esse illicitum, si fiat cum prædicta moderatione, subdit hæc verba: *Sed cum histriones vtuntur indifferenter tali exercitio ad repræsentandum etiam turpia, vel ad vituperandum*, &c. *Illicita est ars, & eam oportet dimittere; & de tali intelligitur* cap. Pro dilectione, distinct.2. de consecr. *Et peccatum est, talia aspicere, & talibus pro illo opere aliquid*

218 *dare, vt dicit Augustinus* distinct.86. cap. Donare, *vitium est immane*.

Durandus in 4. dist.16. quæst.5. ait: *Spectacula quædam sunt rerum turpium, & ad peccatum prouocantium; sicuti inspectio ludorum Theatralium, & studiosa inspectio talium, peccatum est, & quandoque mortale*.

219 Summa Armilla Authore Bartholomæo Fumo V. Spectacula, hæc habet: *Spectacula facientes, vel fieri mandantes, in quibus impudica, crudelia, irreligiosa notabiliter sunt admixta*,

mixta, sine dubio mortaliter peccant: & similiter aspicientes talia cum delectatione huiusmodi; quia delectari de eo, quod est mortale peccatum, mortale est. Si verò talia occurrunt alicui, 220
non tamen placent, nec vellet illa fieri, tamen ex quo occurrunt, aspicit ex curiositate; nisi ex hoc oriatur scandalum, vel periculum, quod animus eius inclinetur ad complacentiam, vel aliquid simile desiderandum, non videtur mortale, sed erit veniale, &c.

Idem in V. ludus num.II. *inspicere* 221
ludos, secundum Sanctum Thomam, ex se non est peccatum, sed propter prohibitionem, iis scilicet, quibus prohibitum est, vel ratione periculi, cadendi in aliquod mortale; tunc est mortale, scienter, vel dubitanter se exponere; vt cum in ludis repræsentantur turpia, & lasciua: vel dimittendo diuina necessaria de præcepto, tunc est mortale: seu ex visione quis aduertenter alium ad mortale induceret; vt cum ad ipsum 222
corrigere pertinet, & videndo videtur fauere; vel quando complacent ludi, qui sunt mortales, non solum quoad

actum,

actum, sed etiam quoad deformitatem,&c.

Summa Tabiena authore Ioanne Tabiensi V. Histrio §.1. *Qui sustentant illos histriones, qui illicitis vtuntur, peccant, quasi eos in peccato fo-*
223 *uentes: vnde dicit Augustinus, quòd donare res suas histrionibus, vitium est immane,* &c.

Idem V. Ars.§.9. *De Arte histrionatus, si fiat temporibus debitis, & à personis, quibus non prohibetur, & non fiat per verba turpia, non videtur illicita,* &c.

Syluester in Summa V. Curiositas, num.4. *Curiositas est mortalis, quando quis,* inquit, *vult scire, quo-*
224 *modo fit aliquod peccatum, cuius cogitatio vehementer, & periculosè mouet,* &c. *Et generaliter, idem dico in omnibus, quorum notitia est volenti noscere periculosa de mortali,*&c.

Et in V. ludus, num.8. *Per se loquendo, spectaculorum inspectio non est mortalis, nisi ratione efficacis inductio-*
225 *nis ad mortale, aut complacentiæ in illud, volendo tale quid fieri, vt videa-*

tur;

tur ; aut cessationis à corrigendo : per accidens verò est mortale , ratione intentionis, aut periculi animæ , vel corporis,vel scandali,&c.

Idem in V.Ars num.6. *Ars histrionatus secundum Beatum Thomam* 2.2. quæst.168. *& alios Doctores est licita, si fiat moderatè, loco, & tempore, & à personis congruis , id est , laicis : quia* 226
ordinatur ad solatium hominibus exhibendum , quod humanæ vitæ necessarium est,sicut cibo sal : & eo casu licitè percipiunt mercedem : aliàs esset peccatum,etiam mortale;vt si fiant similia tempore pœnitentiæ, vel in Ecclesia,vel à personis Ecclesiasticis , aut cum iniuria Dei,vel proximi,puta cum verbis turpibus , aut actibus repræsentantibus turpia,aut incantationibus : quod patet, 227
quiâ talibus corpus Christi denegatur: vt in cap.Pro dilectione,dist.2. *& de talibus loquitur Cyprianus* in d.c.Pro dilectione,*& Augustinus* distinct.86. c.Qui donant. *vbi dicit,magnum esse peccatum , dare aliquid talibus pro opere suo , quia in scelere suo fouentur : & illud peccatum videtur mor-* 228
tale,

tale, quia est cooperatio ad mortale, &c.

Viguerius Instit. de virt. temperantia, cap. 7. §. 5. vers. 12. ait: *Histrionum, & Mimorum officium, quod ordinatur ad solatium hominum exhibendum, non est secundum se illicitum: dummodo non se exponant periculo personæ; vt in hastiludiis, & aliis digladiatio-*
229 *nibus periculosis; & dummodo non vtantur aliquibus illicitis verbis, vel factis*, &c. *Vnde non peccant, nec iniustè faciunt, qui mercedem ministerij eorum tribuunt, & moderatè eis subueniunt: & illud quod Augustinus dicit, dare res suas histrionibus vitium est immane*, &c. *Dicendum quod intelligitur, quando superfluè, vel histrionibus, qui illicitè vtuntur*, &c.

230 *Conradus in resp. cas. consc. q. 195.* ait: *Ludus sub mortali prohibetur, quandocunque mors, vel membrorum mutilatio, vel graue corporis damnum immineret, vel animæ, periculum, siue alterius, vt in turpibus comœdiis, vel choreis accidere solet*, &c.

Ex

Ex Religione S. Francisci.

*Alexander de Ales part.4.quæst.*11. 231
*memb.*2. §.4. *quæst.*7. Quærit, vtrum
histriones possint accedere ad sacram
Communionem, & ait : *Quòd si non
sunt tanta peccata , vt excommunicetur
quis , non se debet à medicina corporis
, & sanguinis Domini separare,*
& interpretans verbum illud *excommunicetur*,
subdit : *Dicendum , quòd* 232
*excommunicatio vno modo dicitur separatio
à Communione Sacramenti,
vt* 11. quæst.3. cap. Nullus Sacerdotum.
*Alio modo dicitur separatio à
communitate fidelium , vt* 6. quæst. 1.
cap.Illi, qui illa. *Tertio modo dicitur
separatio à numero fidelium , quantum
ad meritum : & hoc modo aliquis existens
in mortali excommunicatur;vnde* 233
*sic intelligitur verbum Hilarij,scilicet:
si non sunt tanta peccata , vt excommunicetur;id
est,sit separatus à numero
fidelium,* &c.

Deinde cum Sancto Cypriano
relato *in cap.Pro dilectione, distinct.*2.
de

de consecr. Sentit, histrionem publicum, qui mortaliter peccat in suo exercitio, esse illum, contra quem Sacri Canones dicunt, esse à Sacra
234 Communione arcendum; si ergo constat, histriones huius nostri temporis peccare mortaliter, ex sententia Alexandri Alensis, erunt illi, de quibus Sacri Canones dicunt, esse infames, & excommunicatos. Verba Alexandri sunt hæc: *Ad illud, quod dicit Cyprianus quod non congruit Maiestati Diuinæ, vt pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi contagione fœdetur; dicendum, quòd Cyprianus loquitur de*
235 *notorio, & manifesto infami, cui non est impartienda Sacra Communio: & idem dicendum est de quolibet existente in peccato mortali, &c.* & q. 8. de mulieribus, quæ choreas turpiter exercent, ait: *Respondeo, quod choreatrices, quibus innotescunt mala, quæ ex vsu chorearum proueniunt, vel experientia, vel prædicatione; nihilominus exercitium huiusmodi habent in con-*
236 *suetudine; cum gestibus suis, & cantibus, se, & alios incitent ad lasciuiam,*
&

& prouocent ad libidinem; dum perseuerant in voluntate, & proposito huiusmodi exercendi officium, non debent accedere ad Sacram Communionem: quia dum sibi, & aliis laqueos mortalis peccati voluntariæ præparant, mortaliter peccant: vt enim habetur in Ecclesiastico; qui amat periculum, in illo peribit, &c. *Si autem aliqua mulier* 237
rarò, & inuita immisceat se huiusmodi choreatricibus; non audeo definire, quod peccet mortaliter, nec illam assecurare à mortali, cum ingerat se periculo prouocandi assistentes ad libidinem; & videtur vitium, & consuetudinem choreatricum approbare, &c.

Summa Angelica Fratris Angeli de Clauatio V. histrio n. 1. ait: *Histriona-* 238
tum exercere, non est peccatum secundum Sanctum Thomam, si fiat moderatè, loco tempore, & personis congruis, & gestibus, vel verbis honestis; vt pro subleuatione alicuius: vnde & licitè recipiunt aliquid pro mercede: & sic non intelligitur de istis, cap. Donare, *&* cap. Qui venatoribus, distinct. 86. nec cap. Pro dilectione, de cons. dist.

239 dist. 1. *Aliàs autem ludum facere de persona cum gestibus inhonestis, aut turpibus, seu loco, aut tempore prohibito, est peccatum mortale: & talibus donare est peccatum mortale, si fiat pro eorum ludo exercendo, &c.*

Eligius Bassæus Cappuccinus in flor. Theol. V. Impudicitia, num. 19. *Non est mortale comœdiis interesse, vbi nec res turpes repræsentantur, nec mo-*
240 *dus repræsentandi est turpis; vel si hæc concurrunt, audiuntur ob solam vanam curiositatem absque periculo probabili lapsus, in aliquod peccatum mortale: at quando turpia repræsentantur, vel modus est turpis, audiunturque ob delectationem ex turpibus consurgentem, aut cum probabili ruinæ periculo, esset lethale: componentes verò, aut re-*
241 *præsentantes comœdias, quæ res valdè turpes continent, peccant mortaliter, &c.*

Ex Religione Clericorum Regularium, seu Theatinorum.

D. Antoninus Diana p. 2. tract 17. resol.

resol.35. hæc habet : *Pluries à nonnullis confessariis quæsitus fui, an comœdiis interesse sit peccatum mortale. Respondi rem esse periculosam, & pec-* 242
catum mortale existimauit Comitolus, &c. *Tamen si audiantur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsus, etiamsi res turpes repræsententur, & modus repræsentandi sit turpis, ego puto, non esse peccatum mortale*, &c. *Quæ quidem opinio, non solum tenenda est quoad sæculares, sed etiam quoad Clericos*, &c. 243

Idem part.5.tract.13.resol.81. quærit, *An audientes comœdias peccent saltem mortaliter, quia ex eorum stipendiis aluntur histriones, qui peccant, vt suppono, lasciuas comœdias repræsentando?* Hic Author postquàm, me citato, retulit meam sententiam affirmatiuam, quam in prima editione huius comœdiocrisis *concl.6.* expres- 244
sam, citat etiam Hurtadum de Mendoza mecum illam tenentem : pro contraria verò negatiua citat Patrem Nicolaum Baldellum, sed nihil, vt solet, addit de suo, pro vna potius,

potius, quam pro altera sententia.

Idem part. 11. tract 5. resol. 51. iterum quærit, *An audientes comœdias*
245 *obscœnas, si non peccant mortaliter ratione periculi, peccent tamen peccato scandali, quatenus sua præsentia, & pecunia excitant histriones ad recitandum?* Et post adductos nouos Authores è Societate IESV P. Bardi, & P. Ferrantinum existimantes aliquos audientes peccare, & aliquos non peccare, ipse his verbis concludit resolutionem, dicens, *rem esse periculosam.*

Tria hîc essent examinanda, vt muneri mihi iniuncto satisfacerem.
246 Primum est, vt iam prædixi, quomodo possit verificari, quod respectu Clericorum cesset scandalum; sed hoc Discursu 9. Expediam; secundum; an sit practicabile tuta conscientia, ob solam vanam curiositatem interesse huiusmodi comœdiis notabiliter obscænis? præsertim, quando ipse modus repræsentandi est turpis, vt Diana singulari-
247 ter affirmat. Et hanc difficultatem,

quæ

quæ est principalis, Discursu 7. & concl. 6. expendendam differo: & tertium; an omnes auditores huiusmodi comœdiarum, siue laici, siue Clerici, præcisè ratione cooperationis peccent mortaliter? & hoc etiam Discursu 8. commodius examinandum reiicio.

D. Franciscus Maria del Monaco in libello edito hac de re, multis
comprobat, comœdiis nostri tempo- 248
ris non licere interesse: & huiusmodi histriones illos esse, contra quos Sacri Canones, Concilia, & Patres insurgunt. Verba huius Authoris non exscribo; quia oporteret integrum opus transcribere.

D. Marcellus Megalius cons.26. num.5. ait: *Censeo, non esse ex genere*
suo mortale, comœdiis interesse; quam- 249
vis in eis turpia repræsententur, & dicantur; siue audiantur ob solam vanam curiositatem, absque probabili periculo lapsus in aliquod peccatum mortale: quod etiam affirmat Sanchez de matrim. lib.9. disp.47. *& ratio est, quia turpiloquia, & minus honesta*

gesta

gesta, dicta, vel facta, vt aliis tamen delectationem, quæ carnalis non sit, ingerant; quamvis gravia sint, & fugienda valdè, non tamen ex genere suo
250 *mortalia sunt, nisi sint incitatoria ad adulterium, vel fornicationem, vel nisi fiant animo se oblectandi rebus ipsis narratis, & repræsentatis, tanquam turpibus, & præsentibus: nam tunc esset peccatum mortale, sicut & ipsa delectatio morosa, cuius causa fiunt: vel nisi fiant animo excitandi se, vel alios ad turpia, vel cum periculo in illa con-*
251 *sentiendi, etiamsi animus iste desit: at si dicantur, aut repræsententur facta, vel verba ex se incitantia ad fornicationem, & hoc fiat ob solam voluptatem, quæ præcisè ex ipsa repræsentatione, & narratione capitur absque vlteriori intentione, peccatum est veniale, vt affirmat Caietanus* 2. 2. quæst. 168. art. 3. §. Ad euidentiam, &c. *Toletus* lib. 5. cap. 14. *Lessius* lib. 4. de Iustit.
252 cap. 3. dub. 8. num. 63. *Fugienda tamen sunt, & à castis Christianorum animis abominanda: dixi, non esse ex genere suo mortale, si quis eis interesset cum animo,*

animo, vel periculo se oblectandi, aliquo ex iam dictis modis, &c. *Ad tertium respondetur* cap. Scenicis, de consecr. *esse intelligendum de illis scenicis, & histrionibus, qui officium cum mortali exercent.*

D. Zacharias Pasqualigus Clericus Regularis in obseruationibus ad Lauretum de Franchis part. 1. controuers. *inter Episcopos, & Regulares, ad Bullam Vrbani VIII. in qua reuocantur licentiæ librorum prohibitorum, n.* 1533. ita de comœdiis loquitur: *Circa regulam septimam Indicis, difficultas est, quinam libri dicantur tractare ex professo de rebus lasciuis. Pro quo est aduertendum, quòd nomine rerum lasciuarum veniunt ea omnia, quibus lasciuia inspersa fuerit; siue sint actiones lasciuæ exercitæ, siue præparationes ad lasciuiam exercendam, siue quæcunque alia huiusmodi: & proinde non solum carmina Poëtarum exprimentia actiones, aut sensus lasciuos, sed etiam comœdiæ, in quibus res lasciuæ repræsentantur, historiæ, & narrationes amorum, qui ad fornicationes,* 253 254

E &

255 *& adulteria ordinātur; cæteráq; huiuſmodi argumenta, veniunt nomine rerum laſciuarum*, &c. *Vt autem ex profeſſo tractent de rebus laſciuis, non eſt neceſſarium, quòd principale argumentum ſit laſciuum; ſed ſufficit, ſi aliqua pars ex intentione authoris, ſit de huiuſmodi materia; tractare namque ex profeſſo, contradiſtinguitur ab eo, quod obiter, & veluti ex tranſitu dicitur;*
256 *vnde, ſi liber aliquam actionem laſciuam completè narret, cenſendus erit tractare ex profeſſo de rebus laſciuis*, &c.

D. Marcus Vidal Venetus Clericus Regularis in libro, cui titulus, Arca Vitalis, *in tract. de charitatis præcepto; inquiſit.* 3. Quærit, an actores, & ſpectatores comœdiarum condem-
258 nandi ſint mortiferi criminis? & ponit nonnullas concluſiones.

Prima eſt; repræſentare, & intereſſe comœdiis honeſtis, nullum eſt peccatum.

Secunda concluſio; Actores Comœdiarum turpium, vt plurimùm ex ſua natura excitantium ad Veneream delectationem, peccant mortaliter, illas

repræ-

repræsentando nutibus, aut gestibus obscœnis; etiamsi intendant tantùm delectare curiosum auditorem, absque praua formali intentione prouocandi illum; sed solùm ex scurrilitate, vel leuitate, vel ad ostentationem ingenij, & his similia. Ita affirmant communiter Doctores. 258

Tertia conclusio; Recitantes comœdias profanas; non tamen plenas lasciuiis, neque adeo turpes, vt sint ex sua natura inductiua ad Venerem; non sunt rei mortiferi peccati; secluso tamen omni graui scandalo, ac probabili periculo, vel propriæ, vel alienæ spiritualis ruinæ. 259

Quarta Conclusio; Astantes Comœdiis turpibus, ac plenis lasciuiis, & illas audientes cum praua intentione, se delectandi Venereè, ex ipsis rebus turpibus repræsentatis, vel cum proximo, & probabili periculo, in eam delectationem consentiendi, esse reos culpæ mortiferæ; certum est apud omnes Catholicos Doctores. 260



Quinta, & vltima Conclusio; Astantes, & Assistentes Comœdiis notabiliter

turpibus, & prouocantibus ad Venerem dictis, vel factis, per gestus, & nutus turpiter expressis, ob solam animi recreationem, & curiositatem, absque tamen
261 *periculo propriæ spiritualis ruinæ, ac sine praua intentione, & malo fine, non sunt condemnandi, tanquam rei lethalis culpæ.* Et in responsione ad tertium argumentum contra quintam hanc conclusionem dicit, assistentes Comœdiis obscœnis ridere, & lætari, *non esse de re lethaliter turpi reduplicatiuè; sed de artificioso, ac faceto modo repræsentandi rem illam turpem.*

DISCVRSVS I.

262 *Ostenditur repugnantia inter secundam, & quintam Conclusionem P. Vidal.*

QVod in hoc Authore aduerto, secundam nimirum conclusionem cum quinta, nullatenus cohæ-
-rere,

rere, existimo prouenire ex quadam 263
communi, & verissima doctrina,
quam tradunt omnes; sed præsertim
Sanchez *de matrimonio, lib.9.disp.46.*
num.33. cuius doctrinæ aut dissimulatur germana intelligentia, aut non bene applicatur ad rem nostram; & ideo generat dissonantiam.

Sed ante quàm supradictam doctrinam afferam, præmitto in quinta Conclusione affirmari, quòd de Comœdiis sermo est, quæ *ad Venerẽ pro-* 264
uoctã, dictis, vel factis, per gestus, & nudus, turpiter expressis, v. g. in his, aut illis circũstantiis, quomodo rapienda sit à genitoribus puella, vxor à marito, qua via perpetrãdum sit adulteriũ, fornicatio, &c. Hæc autem doctrina cum ad cognitionem non speculatiuam, sed practicam pertineat, existimo, cum Patre Ioanne de Cardenas infrà citando, quòd non afferatur ab 265
Authoribus, quos Pater Vidal adducit pro se, cùm ipse de sola cognitione speculatiua non verò de practica, debeat intelligi, vt *Discursu 5. n.361.* ostendam.

Doctrina verò desumpta est ex Sanch. *loc.cit.* & Author refert illam *num.*3. vbi latè explicat, quòd scilicet verba turpia, & obscœna proferre, scribere, vel audire non sunt de se, &
266 intrinsecè mala, sed indifferentia, & aliquando etiam bona, & honesta: cum enim verba sint signa conceptuum, in tantùm erunt praua, vel honesta, vel indifferentia, in quantùm ad huiusmodi conceptus significandos deseruiunt; v. g. concipit aliquis, adulterium, vel fornicationem esse copulam maris, & fœminæ, illam saltem cum alterutra persona coniugata, & istam cum personis so-
267 lutis: si huiusmodi conceptibus, & verbis vtatur ad honestum finem, nimirum ad reprehendendum peccatum, vt Sancti Patres, de his latè scripserunt, & Concionatores in sacris declamationibus loquuntur, amittunt huiusmodi conceptus, & verba suam indifferentiam, & induunt honestatem, & rectitudinem: si verò, vt solent histriones venales, vtatur aliquis huiusmodi concepti-

bus,

bus,& verbis practicè, id est, vt Auditores excitentur ad plausum, & risum,& imitationem illorum facinorum:iam talia verba non solùm non 268
sunt indifferentia, sed formaliter, ex sua naturali significatione, siue, vt Sanchez *n.35. ex ratione sua,* & Baldellus *n.488. ex conditione talis actus,* & hic Author *ex sua natura* notabiliter turpia, &ad peccatum inducentia.

Quod de locutione, & scriptione dictum est,idem exemplificat Author de gestibus, & nutibus, quando ne- 269
cessarij sunt ad turpia exprimenda,vt *accidit*, inquit, *in mutis in ordine ad confessionem;cum aliter non possint sua peccata confiteri.*

His ad maiorem intelligentiam præsuppositis,iam ostendo repugnantiam inter has duas conclusiones, secundam,& quintam. Primò, quia secundam conclusionem *n.15. & 16.* probat Vidal, quatenus, etiamsi histriones intendant directè, & forma- 270
liter *solum delectare curiosum auditorem ex quadam scurrilitate, & vani-*

tate, vel ingenij viuacitate; peccant nihilominus, quia ex se, & re ipsa præbent proximo occasionem peccandi, seu probabile periculum consentiendi in peccaminosam delectationem; sed eadem ratio applicatur, etiam respectu Auditorum, de quibus loquitur quinta conclusio. Ergo repugnant ad inuicem: nam licèt Au-
271 ditores intendant solam animi recreationem, & curiositatem; tamen re ipsa audiunt verba practicè, & ex natura sua excitantia grauiter ad Venerem, & spectant, & vident gestus, & nutus notabiliter obscænos, & ad illicitam delectationem prouocantes; & talis visus, & auditio, cum sint voluntaria, ex natura sua, sunt peccata; quia habent pro obiecto illam turpem, & obscænam actionem pra-
272 cticam, quam histriones repræsentant, ad eámque suadent, & excitant suos Auditores, qui periculum probabile subeunt peccaminosi consensus, & plaudunt, & cooperantur. Ergo peccant etiam Auditores.

Nec refert dicere, quia voluntas audito

auditorum in quinta conclusione habet pro obiecto solam scurrilitatem, siue modum, & artificium histrionum: Nam etiam in secun- 273
da conclusione voluntas huiusmodi Agentium, siue histrionum habet pro obiecto, & pro fine, vt suos Auditores delectet, sola scurrilitate, non verò, vt eos prouocet ad delectationem libidinosam, seu rei turpis repræsentatæ; & nihilominus peccant mortaliter. Ergo & Auditores peccant, quamvis præcisè velint de sola scurrilitate delectari, siue ob curiositatem solam interesse.

Secundò: quia in quarto argumento, ideo probat P. Vidal peccare 274
mortaliter etiam huiusmodi Actores, quia repræsentando turpia, & ex natura sua ad Venerem excitantia, sæpè exponunt se ipsos periculo probabili delectandi se, non de sola scurrilitate, sed de rebus obscænis: sed eodem modo Auditores exponunt se periculo probabili talis libidinosæ delectationis. Ergo peccant mortaliter etiam ipsi.

Tertiò:quia in confirmatione ſexti argumenti, quo probat, ſecundam
275 concluſionem, ita ſcribit P. Vidal: *Minus malum eſt aſpectus rerum turpium,cum periculo probabili deſumendi delectationem Veneream; quam repræſentatio, & recitatio nutibus, & geſtibus rerum turpium, & inhoneſtarum, vt experientia conſtat. Ergo ſi aſpectus turpium cum probabili periculo delectationis Venereæ, dicitur libidinoſus,& per conſequens, peccatum*
276 *mortale: idem multò magis eſt affirmandum, de repræſentatione, ac recitatione Comœdiarum turpium, quæ ex ſua natura inducunt ad laſciuiam.* Probat huius argumenti minorem hic Author; *quia facilius, & probabilius quis inducitur ad laſciuiam, & ad delectationem Veneream per actualem repræſentationem nutibus,& geſtibus rerum turpium, quàm per ſolum*
277 *aſpectum.* Hæc ille. Cur ergo idem argumentum, quo vtitur ad probandum eſſe peccatum mortale repræſentationem actiuam rerum turpium nutibus, & geſtibus factam ab hiſtrioni

ſtrionibus, licèt ſine intentione delectationis Venereæ, cur, inquam, non valet ad probandum, repræſentationem paſſiuam, qua ſpectatoribus repræſentantur turpia, & audiuntur, licèt ſine intentione delectationis Venereæ? Nulla certè diſparitas aſſignari poteſt, quæ non facilè euincatur.

Confirmatur, & explicatur totus 278
hic diſcurſus ad hominem, & vt magis conſtet, eandem rationem, cui ſecunda concluſio P. Vidal innititur, vrgere non minus Actores, quàm Auditores: nam non licet Confeſſario ex ſolo fine vanæ cuiuſdam curioſitatis, ſeu fœmineæ loquacitatis, audire à fœmina impudente magna, & grauia carnalitatis peccata à ſe commiſſa, niſi ea recitet ex honeſto
fine confeſſionis, & hoc, vt omnes 279
Doctores fatentur, quia ſine neceſſitate aliqua exponere ſe periculo probabili mortaliter peccandi, ſeu conſentiendi in aliquam libidinoſam delectationem, eſt peccatum mortale. Ergo, etiamſi tam Actores, quàm

Audito

Auditores Theatri notabiliter obſcæni,& prouocantis, excludant pariter omnem malam intentionem delectationis libidinoſæ,& ſolùm inten-
280 dant reſpectiuè delectare,& delectari de ſcurrilitate, ambo mortaliter peccabunt.

Dicit P. Vidal, in probatione illius minoris, magis excitari ad libidinem Actores per geſtus, & nutus à ſe exercitos, quàm ſpectatores per viſum, & auditionem eorundem.

Sed contra; primò; magis, & minus excitari, ſi intelligatur tam in Actoribus, quàm in Auditoribus de excitatione graui,nulla eſt reſponſio; quia ſolùm probat, ambos peccare mortaliter,ſed grauius eſſe peccatum
281 Actorum : ſi autem intelligatur reſpectu Actorum, delectationem eſſe grauem, at verò reſpectu Auditorum eſſe leuem:Inquiro, in quonam conſiſtat iſta leuitas? cum enim actus repræſentationis actiuæ ex parte Actorum, & paſſiuæ ex parte Auditorum, ſit actus,vt ſuppono,perfectè voluntarius, & plenè deliberatus, & materia,

materia, seu obiectum obscœnum repræsentatum respectu amborum sit omnino vnum, & idem, non potest 282
huiusmodi excessus, seu disparitas assignari in quo consistat.

Respondet in tertio argumento *sub num.*18. hanc disparitatem consistere in hoc, quòd Actores volunt in ipsa actione repræsentatiua rerum turpium, quæ ex sua natura est prouocatiua ad delectationem,& peccatum, volunt, inquit,ipsorum scandolum,& rüinam spiritualem.

Sed contra; quia non sustinetur 283
conclusio; si Actores volunt aliquid aliud, quàm delectare curiosum Auditorem quoad solam scurrilitatem absque praua intentione prouocandi illum ad aliam illicitam delectationem:deinde vrget semper illa instantia, si repræsentatio actiua ex natura sua prouocat Actores,cur passiua non prouocat spectatores?

Replicat P. Vidal in sexto argu- 284
mento *num* 22. quia actiua repræsentatio huiusmodi est formaliter libidinosa. Ergo est peccatum mortale.

Probat

Probat antecedens ex S. Thoma 2. 2. *q.*154.*art.*4. in argumento, ſed contra. Vbi dicitur, quòd aſpectus rerum turpium, vel ob delectationem libidinoſam, quam prouocat, vel ob probabile periculum illius eſt libidinoſus, & peccatum mortale.

285 Reſpondeo, S. Thomam ibi adducere verba ex Matth. cap. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, &c.* Et ex his probare, quòd ſi aſpectus, qui iam ſupponitur libidinoſus, quatenus eſt ordinatus ad concupiſcendam mulierem, eſt peccatum mortale, multò magis erunt peccata mortalia tactus, amplexus, & oſcula. At verò S. Thomas non dicit ibi, quòd omnis aſpectus mulieris, ſit
286 peccatum mortale; quod ſi in repræſentatione actiua hiſtrionum contendat hic Author, aſpectum fœminarum, quæ ferè ſemper recitant in Comœdiis, eſſe peccatum mortale propter periculum probabile, etiam præciſa mala intentione prouocandi Auditores, cur non erit etiam peccatum mortale in Auditoribus,

cum

cum semper adsit paritas?

Ergo, quando Comœdiæ sunt notabiliter obscænæ, tam Actores, quàm spectatores, mortaliter pec- 287
cant, etiamsi solùm intendant interesse ob animi recreationem, & vanam curiositatem.

DISCVRSVS II.

In quinta Conclusione Patris Vidal continetur periculosa doctrina: quòd delectatio morosa in materia Venerea, non sit peccatum mortale, nisi sit cum voluntate ope- 288
randi.

PLura contra suam quintam conclusionem obiicit sibi P. Vidal; sed vnum quod *sub num.* 51. proponit, vt soluat manifestè, demonstrat, Authorem esse, & sentire cum illis, qui putant,

289 putant, delectationem morosam Veneream, non esse culpam lethalem, nisi quando est in ordine ad vsum Venereum. Argumentum est quod sequitur.

Qui delectantur de aspectu, & auditu rei grauiter, & mortaliter turpis, seu obscænæ, peccant mortaliter: sed qui assistunt Comœdiis huiusmodi notabiliter obscænis, delectantur de re grauiter, & mortaliter obscæna; ergo peccant mortaliter: & confirmat, quia histrionibus mortaliter
290 peccantibus assistendo, cooperantur.

Respondet, concedendo maiorem, & negando minorem: dicit enim assistentes huiusmodi Comœdiis, non delectari de re in ordine ad vsum Venereum, sed de actione histrionum, & narratione rei turpis, seu de illo modo artificioso recitandi.

Hanc doctrinam Author videtur accepisse à quibusdam, quos refert, & refellit Suar. *in 1.2.Sancti Thomæ, tract.5. disp.5. sect.7. punct.1. num.6.*
291 Qui delectationem, quæ non ordinatur ad ipsam operis executionem, dicunt,

dicunt, non esse peccatum mortale; sed omnino cauendam esse hanc opinionem, tanquam improbabilem, monet ibi Suar. quia inquit, *est contra omnes Theologos, & occasionem prabet libidini, & ruina:* & ratio est, inquit Sanctus Thomas 1.2.*quæst.*174.*art.*8. *in O. & ad* 4. quia qui delectatur de obiecto malo, quod sibi præsens fit per cogitationem, habet amorem, & 292
affectum ad tale obiectum malum: nemo enim delectatur, nisi de eo, quod amat; potest autem esse, vt quis nolit circa tale obiectum operari, imò proponat, v.g. non fornicari; & tamen velit in tali cogitatione propter affectum, & inclinationem ad tale obiectum, sibi complacere; & in hoc casu non est delectatio de cogitatione, sed de obiecto cogitato, seu per cogitationem facto præsente, & 293
est peccatum mortale de se, vt Sanctus Thomas tenet, & *art.6. eiusdem quæstionis* 74. aliam rationem adduxit, quia, cum voluntas teneatur, actiones humanas, tam externas, quàm internas dirigere, nisi tunc reprimat

primat insurgentem appetitum deficit in re graui, & ideo peccat. Vtramque rationem accepit Sanctus Thomas à Diuo Augustino *lib.12. de Trinit.cap.12.*& communiter tradunt
294 Doctores *in 2. dist.24.* qui hanc propriè vocant delectationem morosam; & Summistæ omnes *V. Delectatio morosa*; & videtur in sacris Litteris damnata. Ierem.4. *Quovsque morabuntur apud vos cogitationes noxiæ?*

Aliam rationem ad idem probandum adduco ex Patre Roderico Arriaga eò libentius, quò per istam conuincitur quinta illa Conclusio Patris Vidal ex ipsis verbis conclu-
295 sionis: in eâ enim fatetur Author non licere interesse huiusmodi Comœdiis grauiter obscœnis; quando in spectatoribus adest periculum consensus voluntatis; sed, vt ait Arriaga *tom.3. cursus Theolog. disp.47. sect.3. subsect.2. num.11.* Delectatio morosa, etiamsi in aliis materiis non sit mortalis: at in materia carnis est mortalis, & eius malitia desumenda est non ex malitia obiecti, sed ex ea,
quam

quam habet ipsa delectatio: putat 298
enim hic Author, hanc malitiam
non posse probabiliùs explicari,
quàm ex eo, quod omnes huiusmodi
delectationes morosæ habent præsentissimum periculum consensus in
copulam, vel in pollutionem. Videatur ibi Arriaga, hæc duo capita latè
explicans, & omnia obiecta in contrarium resoluens. Repetit eandem
doctrinam *tom. 5. tract. de prudentia,*
&c. *disp. 58. sect. 5. num.* 42. 43. 46. vbi 299
monet, hoc periculum, non solum
procedere ex cogitatione, & propositione obiecti, & ex aliis dispositionibus naturalibus occurrentibus; sed
ex eo, quod appetitus inferior non
experitur frenum voluntatis reprimentis illum; imò quod ipsa voluntas deliberatè eligit illam delectationem, & quatenus eligit nouum
ignem applicat, & inflammat; cum
ergo delectatio morosa semper habeat annexum huiusmodi proximum
periculum ex se, & ipse Pater Vidal 299
non defendat suam quintam Conclusionem, nisi sublato periculo consensus,

ſenſus, & ſpiritualis ruinæ, vt diſertis verbis fatetur, ſequitur, talem concluſionem non ſubſiſtere.

Ad id verò, quod in obiectione pro confirmatione addebatur de cooperatione peccato hiſtrionum, etiam-
300 ſi nihil reſpondeat Pater Vidal, erit pro reſponſione infrà, Diſcurſus Octauus.

DISCVRSVS III.

Aſſertur communis doctrina de moroſa delectatione, & referuntur duæ ſententiæ.

301 VT penetretur vera, & legitima intelligentia quintæ Concluſionis à Patre Vidal ſuprà deſcriptæ, & fideliter relatæ *num.* 299. neceſſarium eſſe duxi, in primis videre, quid de delectatione circa obiectum obſcænum Theologi docuerint.

Pro qua re; præmitto delectationem illam, quæ vel in appetitu ſenſitiuo,

ſitiuo, vel etiam in appetitu noſtro 302
rationali, ſeu voluntate excitatur, ex præſentia alicuius obiecti delectabilis, quod ab imaginatione appetitui ſenſitiuo, & ab intellectu voluntati repræſentatur, eſſe eandem, quam Caſuiſtæ delectationem moroſam appellant, non quia voluntas cum aliqua mora temporis perſeueret in hac delectatione; hoc enim non eſt neceſſarium, vt docet Sanctus Thomas 1.2.*queſt.*74.*art.*6.*ad* 3.cum Suar. *loco citato,num.*16. vt ſit moroſa; cum 303
breuiſſimum tempus ſufficiat, vt ſit, & dicatur moroſa, ſed quia voluntas circa eam immoratur, cum ſufficiente aduertentia rationis, & libertate: in his enim duobus conſiſtit moralitas: huiuſmodi verò delectationem, quia eſt de re Venerea, eſſe peccatum admittunt omnes Doctores; quicquid ſit de illa, quando eſt circa alias materias, vt docet Pater Arria- 304
ga *tom.*3.*curſus Theolog.diſp.*74.*ſect.*3. *n.*7.& 10. & Pater Ioan. de Cardenas *tract.*1. *diſp.*18. *cap.*8. *num.*92. ſolum quærunt Authores, ſuppoſita,

vt

vt loquitur Sanch. *summ.lib.1. cap.2.*
*num.*12.plena aduertentia præceden-
te, & quod voluntas, nec reiiciat, nec
acceptet, sed negatiuè se habeat,
non expreſsè consentiendo, sed per-
mittendo solum illam delectatio-
nem, & in ea immorando. Quærunt,
inquam; An hic tacitus, & directus
305 consensus dicendus sit, & in casu
præsenti, quia supponitur materia
grauis, quæritur, an sit culpa morta-
lis: & in duas sententias Authores
diuiduntur.

Sed, vt cum distinctione proce-
damus: Primò est aduertendum, du-
plicem esse huiusmodi delectatio-
nem de re Venerea, vt monet idem
Pater Arriaga *loco citato, num.* 11.
306 *vers.Pro decisione, &c.* Prima est de-
lectatio, quæ est in appetitu sensitiuo,
orta ex apprehensione obiecti tur-
pis, seu obscæni. Secunda est, quæ
consistit in motibus externis impu-
ris, cum excitatione spirituum gene-
rationi inseruientium. De prima de-
lectatione, vt aduertit idem Pater
Arriaga *loco citato* loquitur Sanchez
tam

tam *in lib.9. de matrim. disp.45. n.25.* quàm *in summa loco citato*, & D. Caramuel *suprà, num.202.* in hac delectatione dicit, esse *periculum noto-* 307
rium, & vix euitabile, & num.eod. addit, quòd posita, & permissa aliqua morositate in appetitu sensitiuo, *theoricum est, & vix possibile in praxi* asserere, quod grauior inde lapsus non sequatur: & ratio est manifesta, desumitúrque ex sympathica, & naturali connexione appetitus sensitiui interni, & potentiæ tactiuæ exterioris, vt bene post alios docet P. Ioannes de Cardenas 1.*part.Chrisis Theologicè, tract.5. disp.41. cap.2. num.16.* & *cap.3. num.61.* cum enim delecta- 308
tio interna, siue appetitus sensitiuus complacens de obiecto sibi conueniente, ex naturali quadam determinatione, mediante potentia quadam commotrice, excitat, & commouet spiritus corporeos generationi naturaliter inseruientes, vt etiam P. Lessius *lib.4. de iust. cap.3. num.* 108. prænotauit, fit, vt admissa obiecti turpis in appetitu sensitiuo delectatione, natu- 309
raliter

raliter ſtatim ſequatur in corpore, ſiue in potentia tactiua, quæ eſt diffuſa per carnem, delectatio turpis, & carnalis, ita dicta, ex eo quod eſt in carne: & dicitur etiam libidinoſa; quia iuxta doctrinam Medicorum, præſertim verò Galeni *lib.* 14. *de vſu, part. cap.* 9. quem citat Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſolut.* 1. & alij paſſim, eſt inchoata ſeminis deciſio, & effuſio;
310 cuius modum latè explicat Rebellius apud Baſſæum *in Floribus V. peccatum* 1. *num.* 7. *verſ. Aduertit.* Eſt ergo euidens immediatum, & proximum, vel ad minus probabile periculum conſenſus in peccatum mortale voluntariæ pollutionis: & ideo bene D. Caramuel dixit, *rem eſſe theoricam, & vix practicè euitabilem,* quòd non adſit peccatum.

Secundò: eſt aduertendum, duas eſſe Claſſes illorum, qui ad obſcænum Theatrum accedunt: alij enim
311 ſunt, qui non præuident, nec præuidere curant, ſpectaculum eſſe obſcænum, ſed tunc dumtaxat, quando vident, & audiunt Comœdiam, obſcænitatem

nitatem cognoscunt, & periculum aliquod illi obscænitati assentiendi simul apprehendunt: & alij sunt, qui antequam accedant, cognoscunt, vel ab amico, qui iam interfuit, vel à publica fama, quæ spargit histriones esse immodestos, & tali die re- 312
præsentandam esse actionem notabiliter inhonestam. Contra omnes huiusmodi homines tam primæ, quàm secundæ Classis disputamus.

Prima sententia est contra primos negatiua, quòd nimirum, qui non præuiderunt obscœnitatem, sed eam tantum, dum repræsentatur, bene aduertunt, & simul periculum cognoscunt, quod imminet ex ea, non teneantur exercere actum positiuè contrarium, sed posse negatiuè se habere, 313
quoad voluntatem: hanc sententiam vocat Sanch. *in sum. lib. 1. cap. 2. n. 13.* communiorem, & metaphysicè loquendo, probabiliorem, eámque tribuit D. Thomæ *de verit. q. 15. art. 4. ad* 10. sed immeritò, cum ibi S. Thomas contrariam affirmatiuam sententiam expresse doceat, vt mox videbimus:

314 mus : citat etiam D.Bonau. Gerſon. Adrian.Caiet. Roſellam, Armill. Angel. Tab. Nauar. Cordub. Alcazer, Metin. Tolet. & Manuel. At verò Suarez *loc. cit. num.*18. citat pro hac ſententia ſolum Henric. *quodlib.6. q.*4. fundamentum huius ſententiæ eſt , quia tota obligatio reiiciendi hanc delectationem oritur ex præcepto negatiuo, *Non concupiſces :* hoc autem non obligat ad actum poſitiuum expellendi ; ſed ſolùm ad non conſentiendum : addit tamen Sanch. debere illum, qui habet hanc delecta-
315 tionem, concipere, & habere firmum propoſitum non conſentiendi; & hoc propter periculum, quod fatetur.

Secunda ſententia affirmat , & vt loquitur Sanctus Thomas cit. art.4. ad 10. *Quando perpendit ratio de delectatione inſurgente , & de nocumento conſequente, vtpote cum percipit homo, ſe totaliter per huiuſmodi delectationem in peccatum inclinari , & in præceps ruere, niſi expreſsè reſiſtat, videtur conſentire , &c.* & 1.2.q.74. *art.*5. *&* 6. quia cum ratio non reprimit illicitum

illicitum passionis motum, quem re- 316
primere tenetur, quatenus ad ipsam
spectat gubernare omnes passiones,
& motus inferiores, tunc interpre-
tandum est, quòd consentiat; hanc
sententiam defendit Valent. *disp.6.
q.4.punct.3.vers.Nihilominus,&c.* qui
dicit esse communem Azor.*p.1.lib.4.
c.6.q.5.* Sayr.Clau. Reg. *lib.18.cap.7.
n.3.* Less. *lib.4.de iust.cap.3. num.117.*
Vasquez 1.2. *tom.1. disp.*108.*c.2.n.2.
&* 3. Suar.*loc. cit. n.19.* qui ad funda- 317
mentum contrariæ sententiæ res-
pondet, quod præceptum negatiuum,
quod prohibet consensum expressum,
obligat etiam ad impediendum huius-
modi consensum, per actum contra-
rium positiuum; v.g. præceptum ne-
gatiuum non occidendi, obligat
etiam ad non permittendam mor-
tem proximi, & ad impediendam
illam, si potest impediri: præceptum
negatiuum, non mœchandi, non 318
solùm obligat ad non fornicandum,
sed etiam ad orandum, ne tentatio
præualeat, &c. & sic de aliis.

Hanc secundam sententiam, quæ

asserit, non sufficere, vt quis se habeat negatiuè, sed debere sua voluntate positiuè expellere illam delectationem, vocat Sanch. *n.13. veriorem in praxi*, eámque laudat, quia inquit, non est homo adeo suæ voluntatis dominator, vt, si ei proponatur obie-
319 ctum rectè cognitum, & vehementer alliciens, vt possit sibi promittere, quod suspendet omnem actum, & non consentiet: imò in pœnam tantæ fiduciæ, & nimiæ præsumptionis, & superbiæ, timere debet, cum non faciat quantum potest, ne à Deo deseratur, & cadat: & quia omnes agnoscunt hoc periculum, aliqui Authores primæ sententiæ dicunt, vt prænotaui, quod voluntas, quæ vult negatiuè se habere, debet habere firmum propositum, non consentiendi.

320 Tenentur ergo huiusmodi primæ Classis spectatores, qui delectationem in appetitu sensitiuo iam admiserunt, eámque postea plenè aduertunt, in omni sententia, vel illam positiuè expellere, vel si permissiuè, & negatiuè se habeat voluntas, firmum

mum non assentiendi propositum concipere; quod quàm sit difficile, & periculosum, iam diximus cum Sanchez, qui primam sententiam sequitur.

Sed quamvis argumentum propositum verè non vrgeat, contra primæ Classis spectatores: isti enim non admittunt in appetitu sensitiuo, cum præuia aduertentia illam morosam delectationem, quia non occurrit illis talis delectatio directè volentibus, & scientibus, sed quasi ex improuiso; tamen, vt magis constet prædicti argumenti efficacia, volui etiam de illis primam partem huius discursus præmittere: si enim isti peccant, qui indirectè huiusmodi delectationem patiuntur, multò magis peccabunt alij, qui directè, & præmeditate illam permittunt. 321 322

De iis igitur nunc agendum est, qui præmoniti de turpitudine, & periculo, volunt interesse Theatro; in hoc aliqui recentiores volentes negotium arduum, & periculosum, imò euidenter peccaminosum, facile, securum,

323 rum, & sine peccato reddere, considerant cum Suar. *tom.4.in 3.p.disp.32. sect.2.num.4.* quòd periculum *proximum est illud, quod ex suo genere tale est, vt frequenter inducat homines ad tale peccatum:* & quia homines virtute infirmi, qui frequenter ad Theatrum notabiliter obscœnum accedunt, præsertim, si non habeant firmum propositum, non se delectandi de illa graui obscænitate, facilè labuntur, ideo iudicant, esse illos in periculo proximo: hoc autem periculum cum præcipuè proueniat ab illa sympathica, & naturali cõnexione obiecti, iam appetitui sensitiuo
324 propositi: ideo excogitauerunt, & inuenerunt pro remedio, præcisionem intellectus; quod enim intellectus præscindens proponit voluntati præcisum, illud, & non aliud voluntas amplectitur; quia voluntas fertur in præcognitum; & ideo sicut restricta est præcisio, ita pariter restricta debet esse voluntas: si ergo per præcisionem, intellectus proponit voluntati vanam aliquam curiositatem,

tem, vel musicam, cum qua talis Comœdia, v. g. repræsentatur, tanquam bonum honestum, & delectabile acceptandum, & obscænitatem, tanquam malum morale reiiciendum, & vitandum, iam voluntas tantùm delectabitur de vana curiositate, seu de Musica, & non de obscænitate; & sic mortale peccatum vitabitur. 325

Confirmant hanc doctrinam; quia cum verba obscæna non sint ex natura sua mala, nisi ad malum finem proferantur, & audiantur, vt dixi *num.* 265. & supposita tali præcisione, finis qui intenditur non sit grauiter malus, sequitur, non esse peccatum mortale. 326

Nec obstat, inquiunt, quòd in argumento concludatur, nimirum iam in appetitu sensitiuo dari delectationem morosam, quæ cum plena aduertentia, & perfecta libertate est volita: nam huiusmodi delectatio ad bonum finem est directa, ergo nullum peccatum est, neque veniale. Sic Ministri missi à Magistratu, vel ab Episcopo, vt obscœno Theatro 327

intersint, & inuigilènt, vt histriones moderatè agant, licitè interesse possunt, licèt in appetitu sensitiuo delectationem morosam patiantur. Sic Confessarius aliquis audiendo confessionem fœminæ alicuius impudicæ, licèt multos, & graues stimulos carnis patiatur, potest tuta conscien-
328 tia audire; dummodo obscænitati non consentiat: ita Chirurgus, dum in partibus pudendis mulieris vlceratæ medetur, licèt in pollutionem incidat, dummodo firmum propositum habeat, non consentiendi, potest artem suam exercere, neque eam cum graui damno propriæ existimationis, aut lucri dimittere tenetur. Cur, si quis vult oblectari tantùm de Musica; aut solùm ex quadam vana curiositate notabiliter obscænum specta-
329 culum videre, non ei, sine peccato licebit?

Hæc est recentiorum subtilis, & ingeniosa excogitatio: contra quam Neotericum quendam inuenio, qui ita ex professo illam impugnat, & euellere radicitus conatur, vt si illam hîc

hîc recensere prætermitterem, maiorem partem dissimularem illius doctrinæ, quæ ad Comœdiarum Crisim pertinet, & iudicium: ideo sit sequens 330
Discursus.

Discvrsvs IV.

Refertur cuiusdam Recentioris sententia contra præcisum consensum eorum, qui obscæno Theatro inculpabiliter interesse credunt.

IN sententia huius Recentioris fui ego aliquando ita firmus, vt ab ea discedere posse nunquam crederem; nec vlla ratione conuinci, vt per 331
huiusmodi præcisionem satis prouisum sit, quòd qui intersunt Comœdiæ notabiliter turpi, grauiter non peccent: duplici enim motiuo, & vtroque, vt existimabam, validissimo vtitur Author.

Qui cum hanc suam sententiam adhuc typis non publicauerit, non erit, vt reor, Lectori meo ingratum, si eandem sententiam, quam mihi manuscriptam communicauit, hîc
332 de verbo ad verbum referam.

Mouetur ipse primò: quia vt per intellectum fiat huiusmodi præcisio, debet prius cognitione directa intelligi totum illud obiectum, quod spectatori proponitur in Theatro; nempe, & grauis obscœnitas, & Musica, v. g. qua cantatur obscœna fabula: est enim præcisio cognitio quædam reflexa, quæ semper suppo-
333 nit directam de toto obiecto, quod per præcisionem debet, quasi in partes secari, vt patet ex terminis; & quia nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, sequitur, cum iam in appetitu sensitiuo, mediantibus oculis, & auribus præcesserit delectatio morosa, quæ satis supponitur deliberata, & voluntaria, sine dubio peccatum est.

334 Respondent, cognitionem illam directam esse formatam, vel ex fama iam

iam sparsa per vrbem, vel ex relatione cuiusdam amici, & sic solùm in confuso præcessit notitia, quòd Comœdia, quæ cantatur in Musica, sit valdè obscæna.

Contra, est, quia non potest esse magis distincta cognitio reflexa, & præscindens, quàm illa directa; ergo etiam cognitio præscindens erit confusa, & sic non poterit voluntati proponere hanc distinctam obscænitatem, tanquam malum per actum 335
displicentiæ fugiendum, ergò voluntas mensurata à tali præcisione de non consentiendo obscænitati in confuso, erit restricta ad obscænitatem in cófuso cognitam: sed hæc non excludit consensum, seu delectationem de obscœnitate postea distinctè cognita, quæ excitatur, & concipitur, dum agitur Comœdia; ergo voluntas non satis præseruatur per talem præcisionem. Confirmatur, quia potest 336
aliqua voluntas iam prius ex se determinata ad displicentiam alicuius obiecti in confuso cogniti, habere postea complacentiam de eodem obiecto

obiecto distinctè apprehenso, quatenus hîc, & nunc ei proponitur cum talibus iocis, blanditiis, nugis, populari plausu, & toto diaboli artificio, vt verè alliciat, & rapiat voluntatem ad assensum, vt ex dicendis infrà *num.* 437. contigisse Alipio testatur D. Augustinus.

337 Quòd si dixerint, præcognitionem huiusmodi directam, siue comparatam ab amico, siue à famosa vociferatione ortam, non esse omnino distinctam, sed eandem, quam postea spectator Theatro præsens formabit; & ideo præcisionem, esse satis ad effectum excludendi consensum obscænitatis. Respondeo, quòd gratis fingitur, & meritò negatur, quia
338 neque vera est, neque verisimilis; quis enim vnquam audiuit, cognitionem confusam esse eandem cum cognitione distincta, moraliter loquendo; quicquid sit de distinctione physica, circa idem obiectum.

Secundò, mouetur hic Author similiter, vt credat, per huiusmodi præcisionem, non posse excusari spectatorem

torem Comœdiæ notabiliter turpis, quia adhuc non cessat alia ratio desumpta à sympathica, & naturali cõnexione, quam habet appetitus sensitiuus, seu illius delectatio morosa 339
cum potentia tactiua, seu cum altera delectatione, quæ à potentia tactiua excitatur in carne, & ideo carnalis dicitur, & hanc credit fuisse causam, propter quam isti recentiores considerantes huiusmodi periculum, nunquam dixerunt absolutè loquendo, non esse peccatum mortale interesse Comœdiæ notabiliter turpi, sed solùm sub conditione, nisi adsit periculum consensus; ita Barbos. *n.*187. 340
Caram.*num.*194. Dian.*n.*242. Megal. *n.*250. Vidal.*n.*259. *&* 261. Azor.*n.*470. Sanch.*n.*472. Filliuc.*n.*481. Reginal. *n.*485. Baldell.*n.*489. Tambur.*n.*544. Busemb. *n.*547. & Hurtad. *n.*552. est enim proximum, & immediatum huiusmodi periculum, plenè, & perfectè assentiendi prædictæ obscænitati per explicitam, & directam delectationem appetitus rationalis, seu voluntatis liberæ; quia immediatè, &

341 & proximè, physicè loquendo, appetitus sensitiuus naturaliter commouet spiritus genitales & excitat in carne libidinosam delectationem: qua posita, & positis etiam histrionum ridiculis blanditiis, & artibus, nemo, inquit negabit, periculum esse moraliter proximum, & vtplurimùm consentiendi, & peccandi mortaliter.

342 Fatetur hic Author, appetitum rationalem, seu voluntatem esse liberam, quia positis omnibus prærequisitis ad operandum; est de se indifferens ad operandum, & non operandum, & non determinatur ad assensum, vel dissensum eo modo, quo ab imaginatiua determinatur appetitus sensitiuus; neque eo modo, quo potentia tactiua determinatur ad actum libidinosæ delectationis, nempe sympathicè, & per spiritus genitales, seu igniculos in carne excitatos, & accensos ab appetitu sensitiuo fruente, & gaudente illa graui obscœnitate
343 per visum, vel auditum introducta: quia cum supradictæ potentiæ sint natura

naturales, & necessariæ, tam in esse, quàm in modo operandi, prædeterminantur, & excitantur dictis modis ad operandum necessariò, & per modum naturæ. At verò voluntas rationalis libera ante omnem liberum consensum habens sibi præsens obiectum ab intellectu propositum, vel sub ratione boni delectabilis, & suæ carni conuenientis, vel sub ratione boni honesti, se liberè determinat, & 344
amplectitur, aut reiicit liberè, quòd sibi conuenit, & placet.

Vt autem in hac rationali voluntate, quæ debet à prudentia regulari, detur motiuum sufficiens ad se determinandam ad aliquam actionem, cum qua coniunctum est aliquando graue aliquod periculum, oportet, quòd hoc motiuum non sit leuis momenti, sed alicuius grauis necessitatis, aut vtilitatis notabilis: nam pru- 345
dentia dictat, quòd nemo se graui periculo exponat ex quacunque animi leuitate: ideo Suar. *in 1.2. S. Thom. tract. 5. sect. 7. punct. 2. n. 21.* aduertit, quòd Doctores non determinant, quanta

quanta sit futura necessitas, vel vtilitas, *cum non possit certa regula præscribi: Sed si*, inquit, *opus ex natura sua sit aptum natum ad excitandam*
346 *istam concupiscentiam*; (& loquitur de ista delectatione morosa) *ferè semper vitandum est, quando non est ingens necessitas, vel vtilitas.*

Cum ergo voluntas solùm ex magna necessitate, vel notabili vtilitate, se determinet ad prudenter exercendam aliquam actionem periculosam, tunc solùm non potest illud ex *cap.3.Eccles.* obiici. *Qui amat periculum, peribit in illo:* nam tale periculum non est illi voluntarium, sed præter voluntatem: tunc enim voluntas intendit, & appetit directè
347 solùm hoc bonum, quòd est satisfacere huic graui necessitati, vel consequi hanc notabilem vtilitatem, &c. & nisi ita discurramus, inquiunt Sanchez *de matrim lib.9.disp.45. num.4.* Regin. *tom.2.lib.22.cap.3.sect.9.n.42.* & Suar. *d. n.21.* multas actiones necessarias, vel vtiles cogeremur omittere, & innumeri laquei conscientiis iniice

iniicerentur. Citantur pro hac doctrina apud Sanch. Doctores n.23. quibus addit Recentior iste à se recognitos in propriis locis eumdem Sanch. *in sum.lib.*1. *cap.*2. *n.*12.Vas- 348
quez *in* 1. 2.*tom.*1. *disput.*108. *cap.*3. *num.*5. Azor. 1. *part. Inst. mor. lib.*4. *quæst.*5. Suar. *in* 3.*part.tom.*4. *disp.*32. *sect.*2. *num.*4. *&* *in* 1.2. *tract.*3.*disp.*5. *sect.*7. *num.*21. Filliuc.*tom.*2.*tract.*30. *num.* 150. Dian. *part.*2. *tract.* 16. *resol.*56.*p.*3.*tr.*5.*resol.*3. *p.*7.*tr.*11. *resol.*29. Castrop. *tom.*1. *tract.*2.*disp.*2.*punct.*9. §.3.*n.* 8. Thom. Hurtad. *resol.moral. tract.*1.*c.*5.*n.*56.58. *&* 59. Caramu. *in Theolog.prætermit. n.*3002. qui,nouem 349
cum sint, si addantur prædictis viginti tribus, erunt 32. Doctores, qui huic sententiæ patrocinantur.

Ex dictis demonstrat Author,quomodo ministri Principis possint interesse Comœdiæ valdè turpi,absque eo, quòd prima delectatio morosa, quam necessariò patiuntur, sit illis voluntaria, & per consequens non peccent; & quomodo confessarius,& 350
Chirurgus etiam si non solùm primam

mam sed secundam etiam delectationem morosam sentiant, non peccent, quia nimirum mouentur, eo tantùm fine, vt graui necessitati, vel vtilitati inseruiant; & nihilominus non desunt Authores, qui àdmonent, illos debere habere firmum propositum non consentiendi peccato; videantur, Castropal. *loc. cit. n.* 11. *&* 13. Dian. *p.* 3. *l. cit.* & Caramuel *n.* 3008.

351 Sed an oblectatio Musicæ, vel vana curiositas sint motiua grauis necessitatis, vel notabilis vtilitatis, iudicent viri docti; Authori procul dubio non videntur.

Ex dictis colligit primo argumentum contra recentiores, qui dicunt, illos interesse Comœdiæ valde obscænæ, & non peccare mortaliter, qui solùm propter vanam curiositatem, Musicæ oblectationem, aut simili de causa intersunt; isti enim non
352 habent motiuum graue, propter quod voluntas moueri prudenter possit, vt patiatur delectationem primam morosam præter intentionem: ergo admittunt illam plena voluntate,

te,& per consequens peccant mortaliter. Videatur P. Ioan. de Cardenas *disp.* 18. *c.* 6. *&* 7. *n.* 82.

Colligit secundò, Sanctos Patres, quando dicunt, vt *infrà, n.* 541. adnotabo, illum Auditorem esse *admirabilissimum pecus*, indignum cui *credatur*, & esse potius *saxum, & ferrum*, 353
ad minus dicere voluisse, quod qui patitur hanc primam delectationem morosam, esto secundam non sentiat, quia sit homo magna virtute præditus, & secundam delectationem insurgentem opportunè reprimat, & impediat: nam si oculis videat, auribus audiat grauem obscænitatem, nescio, ait, qua conscientia possit
aliquis dicere, quòd non habeat pri- 354
mam internam delectationem morosam, quæ naturaliter, & necessariò sequitur post visionem ocularem, & per consequens non potest negare internam delectationem, quicquid sit de externa.

Quòd si dixerint, Sanctos Patres exaggeratè locutos fuisse, interrogat, ista exaggeratio, estne cum veritate,

aut

aut cum falſitate coniuncta? Si ſecundum dicant, miratur homines doctos, & pios tam altè de ſe ſentire, vt ne propriam ſententiam mutent,
355 potius dicant, Sanctos Patres fuiſſe mentitos: Si primum, iam ſecum ſentiunt, & fatentur, argumentum ſuprà factum eſſe inſolubile. Ita ille contra huiuſmodi præciſionem efficaciter diſcurrit.

DISCVRSVS V.

Proponitur principale argumentum contra ſententiam eiuſdem Authoris: qui illud
356 *ſoluere conatur ex communiſſima doctrina Patris Ioannis de Cardenas.*

PLurima contra ſupradictam ſententiam fuerunt à doctiſſimis viris obiecta; ſed quia argumento principali ſoluto alia facilè videntur corrue

corruere;illud solùm hîc referre satis 357
erit,ne integra Recentioris scripta
videar exscripsisse : est autem quod
sequitur.Potest aliquis absque pecca-
to mortali mulierem aspicere, &c.
pulchram, comptam, & ornatam ad
alliciendum. Ergo spectatores pos-
sunt interesse Theatro notabiliter
obscœno absque peccato mortali.
Probat consequentiam,quia interesse
Theatro notabiliter obscæno, non
est magis prouocatiuum ad Vene-
rem, quàm aspicere mulierem pul- 358
chram, comptam, & ornatam ad
alliciendum.

Vt verum fatear,inquit ille,facilis esset, & prompta huius argumenti solutio : dispar est enim vtriusque casus conditio; cum mulieris illius ornatus,non supponatur ab illis, neque notabiliter obscænus, neque ad Venerem valdè prouocatiuus; sed simplex duntaxat, vanúmque fœminæ artificium : at verò in Theatro supponit P. Vidal notabilem obscæ-
nitatem contineri,&, vt loquitur in 359
sua quinta Conclusione,contra quam
disputat

diſputat Neotericus iſte, in eo repræſentari obiecta, *quæ dictis vel factis per geſtus, & nutus turpiter expreſſis prouocant ad Venerem.* Sed ne eius ſententia dicatur principium petere, & ad conſcientias illaqueandas excogitata, vt Cenſores quidam arbitrabantur, conatur deſcribere, & demonſtrare in communiſſima omnium doctrina eſſe fundatam,
360 quod vt præſtet à Doctiſſimo præſertim P. de Cardenas in ſua Theologica Criſi doctrinam, & argumenta mutuauit, nimirum efficacem, communem, & ab omnibus receptam; idcircò aliqua prius ſupponit, quæ etiam ſolidis, & firmis rationibus, ſtudet confirmare.

Primò igitur ſupponit, cognitionem, vel cogitationem obiecti obſcæni, ſeu Venerei duplicem eſſe: alia enim eſt ſpeculatiua, & alia practica.
361 Speculatiua eſt illa, quæ verſatur circa ſuum obiectum modo ſpeculatiuo, qui eſt vt naturam, & eſſentiam talis obiecti tantùm cognoſcat, ſiue in particulari, ſiue in communi ad

ad hunc solum effectum, vt eius naturam,& essentiam penetret,& sciat; nec vlteriùs progreditur, sed in ipsa cognitione sistit. Practica verò est illa, quæ dictat modum practicum operandi circa tale obiectum: v. g. cognitio, quæ ita occurrit, vel pro- 362
ponitur cognoscenti, vt prouocet ad delectationem obscœnam, & multò magis, si ad operandum alliciat, & inducat: ita ex communi doctrina explicat dictus P. Ioan. de Cardenas *disp.42. num.12.13. & 22.* vbi notat, quòd impropriè, & per extrinsecam denominationem ab aliquibus attribuitur hæc denominatio practici, & speculatiui, ipsi delectationi, quæ non in potentia cognoscitiua, sed in appetitiua consistit: & primò quidem in appetitu sensitiuo, deinde in
appetitu rationali, seu voluntate: nam 363
illa delectatio re vera non est speculatiua, sed cognitionem speculatiuam, siue interioris sensus, & phantasiæ, siue intellectus consequitur; ita vt, illa sic dicatur, & denominetur speculatiua, quæ à speculatiua cogitatione

tatione deriuat ; v. g. cogitat aliquis
pulchram arborem , ornatam flori-
bus, & fructibus onuſtam,conſiderat
aſpectum,ſpeculatur florum colores,
formas pomorum , proprietatem, ſa-
364 porem,& guſtum : non tamen ſentit,
ſe ex vi huius cognitionis prouoca-
tum ad experiendum odorem flo-
rum,vel ſaporem fructuum;ſed com-
placet tantùm de illorum exiſtentia,
natura,& forma : hæc delectatio di-
citur ſpeculatiua , quia non refertur
ad aliquid operandum , ſed ſiſtit in
ſe ipſa. Si verò ſentiat exinde exci-
tari appetitum,ad experiendum odo-
rem florum , & ſaporem fructuum,
iam talis delectatio erit practica , &
ita denominabitur à præuia cogita-
365 tione, à qua ordinatur ad opus, & ad
immorandum in tali gaudio , tan-
quam tibi bono , & ſuo appetitui
conueniente. Eodem modo philoſo-
phandum eſt, inquit, ſi occurrat mu-
lieris alicuius pulchræ , & ad alli-
ciendum compoſitæ aſpectus : nam
ſi cogitatio ſit ſpeculatiua,quia con-
ſiderat ſolam proportionem mem-
brorum,

brorum,colorem, & ornamentum;& delectatio consequens sit de huiusmodi obiecto pulchro, & in se tantùm delectabili; erit hæc delectatio 366
merè speculatiua, & non vitiosa,imò poterit fieri practicè virtuosa, si nimirum aspiciens illam mulierem, sumat ex tali aspectu occasionem laudandi Deum,& dicendi cum Psalmista Psalm.91. *Quia delectasti me Domine in factura tua,&c.* At verò,si tam cogitatio, quàm delectatio euadat practica, quia proponatur, & placeat modo practico,ad libidinem prouocante, & tanquam propriæ carni conueniente, etiamsi non sit cum voluntate deueniendi ad opus 367
extrernum,sed solùm carnaliter se delectandi,erit etiam delectatio practica. Hæc omnia constant euidenter, nec indigent aliqua probatione, cum consistant in sola terminorum acceptione.

Supponit secundò, cum præcitato P. Ioan. de Cardenas *disp.42. cap.7, art.3. & 4.* cogitationem practicam obiecti Venerei, siue sit actus sensus interni,

interni, siue intellectus, si sit extra matrimonium, esse omnino illicitam.
368 Probat Author à posteriori, & ab effectu; nimirum ab experientia magis nota: sed iuuat prius huius veritatis rationem à priori adducere ex doctrina, quam ipse Author latè explicat, & prosequitur *disp.41. cap.3. art.3. & 4. num* 116. nam licèt Sanch. *lib.9. de matrim. disp.*47. Castropalaus *tom.1. tract.2. disp.2. punct.*10. §.2. *n.*4. & Tambur. *in Decal. lib.*10. *cap.*1. *n.*8.
369 recurrant ad commotionem spirituum genitalium, quam per sympathicam connexionem excitat, siue cogitatio sensus interni, siue ipse appetitus sensitiuus in potentia tactiva, siue in sensu exteriore; & quamvis per hanc habitudinem ad externam titillationem probent, talem cogitationem esse illicitam, non tamen concedunt, quòd sine illa liceat ipsi appetitui sensitiuo, & multò magis appetitui rationali complácere de
370 aliquo obiecto Venereo, v.g. de fornicatione, &c. Sed fatentur vtrique, appetitui nullo pacto licere. Ergo ante

ante huiusmodi spirituum genitalium commotionem, illicita est delectatio Venerea, & appetitio, siue concupiscentia in sensu interiore.

Hæc doctrina probatur primò: quia *Matth. c.*8. Christus Dominus dixit, esse peccatum mortale cordis, videre mulierem eo modo, quo excitetur concupiscentia in appetitu:
Omnis, qui viderit mulierem ad con- 371
cupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Non dixit, vt notauit Chrysostomus, ad adulterandum, vel fornicandum, sed solùm dixit ad concupiscendum, vt hoc Euangelico dogmate declararet, quia nimirum primùm oculis, deinde imaginatione, ita aliquis videt illam mulierem, vt talis visio excitet appetitum, & delectationem vitiosam; Secundò, quia omnis affectus carna-
lis, qui opponitur virtuti castitatis, 372
& cum ea habet difformitatem, est illicitus: sed voluntaria delectatio in appetitu sensitiuo, etiam independenter à commotione spirituum huiusmodi, est affectus carnalis oppositus

castitati, illíque difformis; ergo est illicitus. Tertiò, quia voluntaria commotio spirituum genitalium, extra
373 matrimonium, est illicita; sed cogitatio practica obiecti Venerei est cum voluntaria commotione spirituum genitalium naturaliter connexa; ergo est illicita. Quartò: omnis, qui vult ponere in actu extra matrimonium, motiuum determinans ad excitandos spiritus genitales, peccat: sed omnis, qui vult talem cogitationem habere, ponere vult in actu extra matrimonium motiuum determinans ad excitandos spiritus genitales; ergo peccat. Maior patet ex terminis. Minorem probat citatus
374 Author experientia: quia, *quis est*, inquit, *qui habens cogitationem practicam, qua obiectum Venereum cogitat modo prouocatiuo, qui non praeuideat commotionem spirituum carnalium futuram? Cum ad quamlibet cogitationem prouocantem spiritus carnales citissimè subsiliant: cuius millena experimenta, quotidie homines sibi comparant? &c.* Ita ille. Quintò, quia cogitatio

tatio practica obiecti Venerei, est inchoatio profusionis seminis; ergo si est voluntaria, est omnino illicita. Antecedens constat, quia non ob 375
aliam rationem delectatio morosa interna dicitur,& est principium naturaliter, & necessariò determinatiuum commotionis spirituum carnalium, nisi quia ad hunc effectum fuit à naturâ instituta,neque aliud medium solet, & potest adhibere ad consequendum finem generationis humanæ: sed cogitatio practica obiecti Venerei est per se causa delectationis morosæ internæ,aut si non est causa, 376
saltem est cum ea naturaliter, & immediatè connexa; ergo cogitatio practica obiecti Venerei est inchoatio profusionis seminis. Ita etiam discurrunt Sanchez *de matrim. lib.*9. *disp.*47.*n.*4. Tambur.*in Decal. lib.*10. *cap.*1.*n.*8. Castropalaus *tract.*1.*disp.*2. *punct.*10.§.2.*num.*4.Bass.*in Flor.V.peccatum, num.*7. *vers. Aduertit*, *&c.* & P.Ioan.de Cardenas *disp.*42.*c.*5.*art.*4. *à num.*108. dum dicunt, quòd ideo 377
delectatio morosa interna est illi-

cita; quia est inchoatio profusionis seminis.

Nec obstat, si dixeris, cogitationem hanc non esse causam, quia non est immediata ad profusionem seminis. Respondetur, non esse verè causam physicam, quia talis cogitatio non immediatè, sed mediante illa delectatione causat huiusmodi effectum; sed esse veram causam mora-
378 lem: quomodo Petrus, quia suo consilio excitauit Paulum, & Paulus sollicitauit Ioannem vt Franciscum occideret, est reus talis homicidij: & alia plurima occurrunt in moralibus exempla, ex quibus patet, etiam causam mediatam esse veram causam moralem. His suppositis, & probatis, ponit Recentior iste sequentem conclusionem.

Omnes, qui præcognoscunt Theatrum futurum esse notabiliter obscænum, & prouocatiuum ad Venerem, dictis, vel factis, per gestus &
379 nutus turpiter expre[illegible]
t[illegible]

condemnandi sunt tanquam rei lethalis culpæ.

Hæc Conclusio est contradictoria quintæ Conclusionis, quam P. Vidal asserit, & ego verbatim illam retuli *num.* 260.

Probatur primò, quia cogitatio practica de obiecto notabiliter obscæno, extra matrimonium est illicita, & quando est voluntaria, & de materia graui, apud omnes certum 380
est, quòd non potest excusari à peccato mortali: sed qui assistunt huiusmodi Comœdiis, concipiunt voluntariè cogitationem practicam de obiecto notabiliter obscæno: nam histriones non speculatiuam, sed practicam suggerunt cognitionem; ergo omnes, qui assistunt huiusmodi Comœdiis, peccant mortaliter [illegible] nor est cer[illegible] [illegible]ecto, & ma[illegible] bata est [illegible] & secu[illegible] posito. [illegible]

Secu[illegible] quia [illegible] 381
[illegible] in[illegible] incl[illegible]
[illegible] aria[illegible]
[illegible] se[illegible]

tereſſe Comœdiis huiuſmodi, vult inchoari in ſe huiuſmodi effuſionem; ergo peccat mortaliter. Maior patet ex terminis inter ſe immediatè connexis; minor verò probata eſt quinto argumento ſecundi ſuppoſiti.

Tertiò, *quia certum omnino eſt, vt quis peccet lethaliter peccato ſcanddi*
382 *actiui, vel ſpecialis, ſeu aliter contra charitatem, ſatis eſſe, vt proximum ſuum abſque iuſta cauſa periculo probabili delinquendi mortaliter exponat:* ſed charitas magis obligat cæteris paribus erga ſe, quàm erga proximum; ergo quilibet tenetur, ſciens Theatrum eſſe valdę obſcænum, & ad Venerem prouocatiuum, abſtinere ab illo, ne mortaliter peccet. Maiorem aſſerit doctiſſimus, & amatiſſimus P. Albertus de Albertis *in Paradox. de ornat. mulier. diſp.* 1. *cap.* 5.
383 §.10.*n.* 158. eámque pleniſſimè probat cum communi doctrinâ; & conſequentia patet.

Ad argumentum deſumptum ab aſpectu mulieris pulchræ, & ornatæ ad alliciendum. Reſpondet, talem mulie-

mulierem esse obiectum de se indifferens ad terminandam bonam, vel malam cogitationem practicam, vel speculatiuam, & ideo nihil mirum, si Authores communiter non damnent peccati mortalis aspicientem illam: quòd si sermo sit de muliere 384
immoderato ornamento phalerata, & ad libidinem prouocante, qualem describit suam illam Dominam Lucretiam P. Albertus de Albertis *loc. cit. cap.* 7. §. 2. *n.* 25. talis aspectus indubitanter condemnandus est peccati mortalis, saltem ratione periculi probabilis, vt efficaciter, & eruditissimè probat idem P. Albertus *ibidem toto*, §. 8. *& præsertim n.* 98.

Nec defendi posse censet Recentior hic sententiam P. Vidal per illam præcisionem, quæ præmitti potest ante accessum ad Theatrum, quia vt dixit in præcedente Discursu *num.* 372. cognitio generalis, & confusa de Theatro obscœno, quæ sola potest præcedere accessum, non sufficit ad impediendam omnem delectationem morosam: & ratio est, 385

inquit, quia præsupposita illa cognitione confusa, & in confuso præ-
386 cisiua, cum voluntate præcisa non se delectandi, nisi de iocis, &c. sicut per eam non impeditur spectator præsens, quin oculis, auribus, & imaginatione distinctè percipiat totam turpitudinem illam impræcisam, & prouocantem ad Venerem; ita nec in appetitu sensitiuo, qui non præscindit, impeditur delectatio morosa voluntaria; sed nec impeditur spectator, quin toto consensu appetitus sensitiui voluntarij à voluntate illa præcedente, delectetur de tota illa turpitudine per actus co-
387 gnoscitiuos oculorum, & phantasiæ impræcisæ proposita; nam qualis est cognitio talis est appetitio.

Dicet aliquis pro P. Vidal, quia negari non potest, quin consensus in appetitu sensitiuo sit voluntarius denominatiuè à voluntate præcedente, qua spectator statuit se velle videre, audire, & apprehendere totum illud spectaculum obscænum, & prouocatiuum ad libidinem; sed quia

quia præuidet esse tale propter intellectum præscindentem, & de illo obiecto separantem iocos ab obscœnitate, voluit volitione præcisa delectari tantummodo de iocis: quare hæc volitio præcisa non limitabit volitionem illam præcedentem, & impræcisam, à qua denominatur voluntaria delectatio morosa obsequens in appetitu sensitiuo? Erit ergò huiusmodi delectatio voluntaria, solùm quoad iocos, non verò quoad obscœnitatem. 388

389 Respondet facilè, quia illa secunda volitio præcisa quamvis limitet priorem volitionem impræcisam, non tamen obstat, quin repræsentetur oculis, & imaginatione totum obiectum impræcisum, qua repræsentatione posita, certum est, quòd quale à potentiis cognoscitiuis percipitur, tale etiam appetitui proponitur, cum huiusmodi potentiæ non præscindant. Ergo non obstat, quin 390 virtute prioris volitionis impræcisæ sit in appetitu sensitiuo voluntaria illa delectatio de toto obiecto; at-

que

que ideo etiam de ipſa obſcœnitate. Et ratio eſt illa eadem, qua vtitur Sanchez *de matrim. lib.9. diſput.47. num.* 4. cum communi ſententia, vt ipſe teſtatur, ad probandum quòd ſponſis, & nondum coniugatis, non licet delectari in appetitu ſenſitiuo de copula futura tempore matrimonij; quod eſt idem ac dicere, non licere cum præciſione, à tempore
391 præſenti: *Quia*, inquit, *iſte actus appetitus ſenſitiui ſemper fertur in copulam præſentem, cum præſenti commotione ad illam inchoandam*, &c.

Ita efficaciter diſcurrit Recentior iſte; cui ego aliquando conſtantiſſimè adhærebam; ſed re attentè perpenſa, ab eo diſcedere ſtatui, & in aliam ſententiam venire volui, quam omnes aſſerunt, & ſequenti diſcurſu iam comprobare aggredior.

DISCVR.

DISCVRSVS VI.

Soluitur argumentum Recentioris contra consensum præcisum & expenditur quinta Conclusio P. Vidal. 392

QVamuis Recentior iste non immeritò contra quintam conclusionem P. Vidal ingenium acuerit, 393
& stylum: eius tamen discursu attentè discusso, & pluries examinato, non inueni illum ita fundatum, vt à principio apparebat, & sufficiens ad arguendum spectatorem de peccato mortali; non obstante illa voluntate præcisa. Quia licèt spectatores, ex fama præeunte, venerint in cognitionē, quòd Theatre est notabiliter turpe, & ad Venerem prouocatiuum, &c.
& ideo animo deliberato statuerint 394
interesse ob solam vanam curiositatem præcisè, & animi quandam recreatio

creationem, etiam circumscripto probabili periculo spiritualis ruinæ, & absque praua intentione, & malo fine: tamen non video, quomodo possint de peccato mortali condemnari, nisi noua superueniat voluntas, & consensus circa obiectum grauiter peccaminosum: cum enim hîc duæ solæ dentur volitiones, & hæ sufficiant ad casum nostrum; altera de assistendo Comœdiæ notabiliter
395 obscœnæ, & prouocatiuæ, &c. & altera, de non se delectando vel consentiendo obscœnitati illi notabili, nunquam licebit inferre; ergo voluntaria est delectatio, & consensus de tali obscœnitate; nam sine volitione, vel actuali voluntate non potest esse, vel intelligi, aut denominari consensus voluntarius: at non datur talis voluntas; ergo non est voluntarius. Consequentia probatur; nam hoc ipso quod dantur duæ prædictæ volitiones, vel vna, quæ
396 sit virtualiter duplex: nimirum volo assistere Comœdiæ, sed cum præcisa voluntate delectandi me tantùm,
non

non de obſcœnitate, ſed de modo aliquo vel de iocis, &c. datur totum illud, quod ſufficit, vt aſſiſtentia, ſeu præſentia ſit voluntaria, ſed voluntas huiuſmodi eſt præciſa, ſeu limitata; ergo præciſum, & limitatum cauſabit effectum, nimirum conſenſum, & delectationem de modo, vel de iocis; non autem de turpitudine & obſcœnitate.

Dices pro ſententia illius Recentioris, ſatis eſt ad peccatum voluntas virtualis, ſiue effectus in cauſa. 379
Reſpondeo, ita eſſe, ſed non dari in præſenti caſu talem voluntatem, cum per actualem præciſam voluntatem ſit impedita, & excluſa.

Et hinc patet ſolutio argumentorum, quibus Recentior iſte putabat probare ſuam ſententiam. Nam ad primum reſpondetur, cogitationem voluntariam, ſed præciſam, ſeu limitatam, non eſſe de obiecto notabiliter obſcœno, ſed de modo, vel de iocis tantùm, & ideo non eſſe mortaliter peccaminoſam ratione conſenſus, qui non adeſt; ſed ratione 398
periculi

398 periculi probabilis, vel etiam ratione cooperationis, de quibus postea in sequentibus duobus discursibus agendum.

Ad secundum patet eodem modo, non esse cogitationem voluntariam ratione consensus, sed solùm ratione periculi probabilis; vel etiam cooperationis, vt videbimus.

Nunc de illa quinta Conclusione P. Vidal quid ego sentiam aperiendum est, & paucis explicandum. Et in primis censeo Authorem non esse reprehendendum, quasi absolu-
399 tè dixerit, licere interesse Comœdiis notabiliter obscœnis, & prouocatiuis ad Venerem, quia cum addito dixit *absque tamen periculo probabili spiritualis ruinæ* id, quod alij Recentiores ante ipsum scribentes cautè animaduerterunt, ac his, vel similibus verbis dicentes, dummodo non adsit periculum consensus in peccatum mortale, vt videre est *à n.*340. & deinceps.

Secundò loco aduerto P. Vidal nimis liberam concessisse licentiam histrio

histrionibus agendi, & spectatori- 400
bus audiendi Comœdias notabiliter
turpes, & prouocatiuas ad Venerem,
dum dixit licere, cum hac tamen
cautela, vt consensus sit præcisus, &
non adsit periculum spiritualis rui-
næ; nam amatores Theatri, & mul-
ti confessarij acceperunt huiusmodi
licentiam, sed non attendentes cau-
telam annexam, absolutè crediderunt
interesse posse, & iam, vt loquitur
ipse Author, num.43. Inquisit.3. cit.
Hic, & nunc vbique, fere omnes fide- 401
*les assistunt Comœdijs, & illas au-
diunt, etiamsi fiant turpes, & obscœna,
cum sint repræsentata per verba impu-
dica, & per gestus, ac nutus indecen-
tes; & nihilominus Confessarij pruden-
tes, & docti id illis permittunt, & ab-
soluunt à peccatis, etiamsi propositum
non habeant pœnitentes, se abstinendi
in posterum ab auditu, & aspectu ta-
lium Comœdiarum*, &c. hæc ille.

Sed nescio, qua conscientia id fa- 402
ciant Confessarij absoluentes eos, qui
ita intersunt, vt consentiant, & pec-
cent; si propositum non habeant
absti

abstinendi in posterum: nulla enim doctrina Catholica tales confessarios potest excusare: nec illis pœnitentibus Deus remittit peccatum, qui peccatum ita confitentur, vt dolor, seu cordis pœnitentia non sit coniuncta cum proposito non peccandi de cætero, vt definit Trident. *sess.* 14. *cap.* 4.

403 Tertiò; non esse huic Authori concedendum censeo, quod his verbis ab ipso proponitur sub num. 43. *Cum prudenter condemnare non possimus, omnes Confessarios, tanquam imprudentes, indoctos, & praua conscientiæ; debemus absolutè affirmare, & asserere simpliciter, & per se loquendo, non esse crimen lethale assistere Comœdijs turpibus, & obscænis, grauiter prouocantibus ad Venerem; sublato tamen omni probabili periculo consensus in*
404 *delectationem Veneream; qui consensus cohiberi semper potest, si velit castus animus*; ex Less. *lib.* 4. *de iust. cap.* 3. *num.* 63.

Nam non potest absolutè, & simpliciter dici licita, & sine peccato illa

illa actio, quæ ipso P. Vidal. fatente, est licita solùm cum addito, si nimirum non adsit periculum consensus in delectationem Veneream: neque credo, confessarios prudentes, & doctos, absolvere pœnitentes à peccatis mortalibus, si careant proposito 405
non peccandi de cætero; quia, vt loquitur Tridentinum loc. citat. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & attritio in Sacramento Pœnitentiæ, voluntatem peccandi debet excludere*, &c.

Lessius verò *loc. cit.* solùm dicit, 406
quòd castus animus sciens, & volens, turpiloquio non delectatur; quod est verum in sensu composito: nam si delectaretur turpitudine, iam non esset castus animus; vel, vt benè P. Ioannes de Cardenas notauit *disput.42.cap.7. art.3. num.91.* Lessius, & alij similes Authores sunt intelligendi de cognitione speculatiua, non verò de practica.

DISCVR

DISCVRSVS VII.

407 *Non licet sine peccato mortali interesse Comœdiis notabiliter obscænis, & ad Venerem prouocantibus propter probabile periculum consensus in peccatum.*

408 REiecta iam, & omissa illius Recentioris sententia, in qua dicebat spectatores Comœdiarum, in quibus turpia notabiliter, & ad Venerem grauiter excitantia repræsentantur, peccare mortaliter, qui prævidentes huiusmodi obscænitatem, voluntariè, & sine aliqua necessitate volunt interesse, etiamsi non intendant delectari de turpitudine ipsa; sed præcisè de iocis, & artificio: superest, vt videamus, an ex alio capite
409 conuincatur, vt huiusmodi spectatores

res mortaliter peccent : est autem duplex motiuum , ex quo efficaciter deducitur , quòd peccent : aut enim prouenit ex periculo probabili peccandi , aut ex eo , quod cooperantur actoribus in turpitudine. Primum motiuum in præsenti,& secundum in sequenti Discursu examinabo.

Quoad primum , suppono primò, nemini licere sub cuiusvis propriæ voluntatis motiuo ; v.g. maximi ho- 410
noris,summæ voluptatis,vel ingentis lucri , absque necessitate exponere se periculo certo, & euidenti peccandi. Primò,quia non potest non esse certa regula Euangelij *Matth.cap.*16. quæ ait : *Quid prodest homini,si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* Et Ecclesiast.cap.3. *Qui amat periculum peribit in illo.* Secundò:probatur ratione , quia exponere se certo , & 411
euidenti periculo peccandi , absque necessitate,est idem ac velle peccare: nam periculum certum , quod etiam dicitur proximum est illud , quod

certi

certitudine morali est coniunctum cum futuritione peccati; & quilibet prudens in tali circunstantia inferre potest, peccatum est futurum, vt P.Ioannes de Cardenas *disp.18.cap.1. num.9.* discurrit, & *supra, num.323.* dixi cum Suarez; nemini autem licet peccare, vt constat ex terminis; ergo
412 non licet. Tertiò: quia ille, qui absque necessitate exponit se periculo certo, seu proximo amittendi res temporales, puta, bona fortunæ, honoris, vitæ, & multò magis Diuinam gratiam, peccat ad minus contra charitatem, quæ obligat ad illorum conseruationem, & ad procurandam propriam salutem. Ergo non licet exponere se periculo certo, seu proximo.
413 Suppono secundò: quòd licèt periculum probabile sit minus periculo proximo, vel certo, & euidente, quia ex certo periculo infertur certò, & euidenter futuritio imminentis mali; ex periculo verò probabili non infertur certò, sed probabiliter tantùm illud malum, adsunt enim rationes probabiles, & quidem non leues, sed

ſed graues; & ideo viri prudentes prudenter timent, & probabiliter ſuſpicantur malum futurum; leue 414
autem periculum, quod ex leuibus motiuis timetur, nullum omnino periculum eſt, quia non prudenter, ſed temerè iudicatur periculum illud, quod leues rationes demonſtrant. Ita explicat dictus P. Ioannes de Cardenas periculum probabile *diſp.18.c.2. num.10.* & *cap.7.n.77.* & ante ipſum P. Albertus de Albertis *in Paradox. de ornat. mulier. diſp.1.c.7. §.8. n.98. & deinceps*; & infrà *diſcurſ.12.n.626.* cum aliis repeto; v. g. Mercatores 415
Itali mittunt merces ſuas ad inſulas Peruanas; ſed quia periculum eſt in mari, à piratis, à tempeſtate, à fragilitate nauium:in terra, ab hoſtibus, à caſibus, & à viarum graſſatoribus: licèt hoc periculum non ſit certum, & euidens:quia de centum huiuſmodi negotiis vix pereunt ſex, aut octo: aliquod tamen periculum timent viri prudentes; & ideo pro aſſecuratione ſoluunt, v.g. decem pro ſingulis centum; & ſi negotium valeat viginti 416
millia

millia aureorum, assecuratores promittunt negotium securum pro pretio ducentorum supra millia aureorum. Ergo viri prudentes tanti faciunt hoc periculum, quod licèt non sit certum, & proximum, sed solùm probabile, soluunt nihilominus pretium notabile pro redemptione à periculo probabili. Hanc doctrinam tenent non solùm omnes Doctores,
417 ait P. de Cardenas *dict. disp.* 18. *cap.* 6. *num.* 60. sed omnes viri prudentes in vniuerso terrarum orbe, qui rogati, an sibi liceat exponere vitam periculo probabili mortis, honorem periculo ignominiæ, & totum peculium periculo iacturæ, constanter negant, & contrarium consilium, tanquam imprudẽtissimum iudicant. Valeat enim
418 à minori ad maius argumentum, & à rebus temporalibus, ad incomparabiles Diuinæ gratiæ diuitias firma sit illatio, quòd non licet absque necessitate exponere se, nedum certo, & proximo, sed nec probabili periculo peccandi mortaliter: ita latè, & doctè ratiocinatur idem P. de Cardenas

denas *loc. cit.* & quòd non liceat sine aliqua graui necessitate exponere se periculo probabili, est omnium Theologorum communissima sententia.

Suppono tertiò; cum eodem Authore *dicta disput.* 18. *cap.* 2. *num.* 20. triplicis generis in præsenti materia dari necessitatem. Primi generis est illa, quæ prouenit ex alicuius præcepti obseruantia, & dicitur necessitas Theologica; v.g. Chirurgus mouetur ex charitatis, vel iustitiæ debito ad medendum fœminæ, graui morbo in pudendis laboranti, & quæ alium medentem non habet; vel ad vitandum scandalum notabile, retinet aliquis domi personam cuius consuetudo familiaris sibi est maximè periculosa. Secundi generis necessitas dicitur physica, qualis est illa, qua aliquis detentus in carcere; v. g. vnà cum suo hoste, esset in periculo illum necandi, vel percutiendi. Et tertij generis moralis necessitas est, qua filiusfamilias tenetur habitare paternam domum, in qua moratur fœ-

419

420

mina suæ continentiæ valde insi-
421 dians:ad hanc moralem necessitatem
reducunt Doctores notabilem aliquam vtilitatem, propter quam dicunt, posse Confessarium,etiam cum periculo pollutionis, audire in confessione tutâ conscientiâ grauissima peccata alicuius magnæ meretricis; posse alium cum simili periculo equitare, quia iter pedestre sibi est valde incommodum, licèt ex equitatione
422 pollutionem frequenter patiatur: & alios similes casus ad moralem necessitatem pertinere censent Doctores, numero viginti tres, quos ego *suprà Discurs.*4. *num.*347. allegaui, & alios addidi, qui vnanimi assensu fatentur, concurrente aliqua ex prædictis necessitatibus, posse nos tuta conscientia, non tam exponere nos ipsos periculo probabili, quàm illud permittere, & pati: & ideo talem actionem periculosam dicunt agentibus esse præter intentionem, & obiectum talis voluntatis, non esse
423 illam actionem periculosam,sed illam
necessitatem.

His

His positis: Dico peccare mortaliter illos, qui intersunt Comœdiis, in quibus repræsentantur notabiliter turpia, & ad Venerem prouocantia, dictis, vel factis, per gestus, & nutus turpiter expressis, ob solam animi recreationem, & curiositatem.

Ista conclusio videtur esse contra illam quintam Conclusionem P. Vidal: sed re vera non est: nam hæc 424
mea conclusio absolutè ponitur, & sine addito: at verò suam quintam conclusionem P. Vidal defendit cum addito; *& dummodo non adsit propria, vel alterius spiritualis ruina periculum*; fortè considerans Comœdiis huiusmodi interesse absque peccato mortali, esse moraliter impossibile.

Probatur igitur absolutè conclusio. Quicunque absque graui necessitate, vel notabili vtilitate exponunt 425
se periculo probabili peccandi mortaliter, peccant mortaliter.

Sed qui intersunt Comœdiis, in quibus repræsentantur notabiliter turpia, & ad Venerem prouocantia, &c. ob solam animi recreatio-

nem, & curiositatem exponunt se periculo probabili peccati mortalis absque graui necessitate, vel notabili vtilitate. Ergo peccant mortaliter.

426 Maior est certa, recipitur ab omnibus,& probatur ex dictis in secundo supposito: nam si rationes non quidem leues, sed graues, & magni momenti suadent, esse probabile, quòd peccabis, & simul suadent esse improbabile contrarium, aut non esse probabile, iam cum nulla necessitas grauis, vel nulla notabilis vtilitas adsit proptet quas prudenter possis te exponere tali periculo, iam habes pro obiecto tuæ voluntatis ipsum periculum, seu peccatum, quod probabiliter adest, & probabiliter non
27 abest; ergo peccas præcisè per hanc voluntatem, etiamsi nullam sentias delectationem prauam.

Minor probatur ex dictis *Discurs.5. num.368.* in secundo supposito vbi latè, & rationibus non contemnendis Author ille Recentior ex communi doctrina probauit, illicitam esse cognitionem practicam obiecti notabili

notabiliter Venerei, & prouocantis; qualis sine dubio est illa, quæ à spectatoribus huiusmodi Comœdiarum mente concipitur, dum talis ab hi- 428
strionibus excitatur dictis, vel factis, per gestus, & nutus turpiter expressis.

Dices, huiusmodi periculum probabile valdè diminui, & extenuari ab illa voluntate præcisa de sola animi recreatione,&c. Ergo vel nullum,vel leue periculum adest.

Respondeo primò:præcisa huius-
modi voluntas non satis est,vt ratio- 419
nes graues non suadeant, periculum adesse; ergo non extenuant, neque minuunt illud. Secundò: si satis esset voluntas huiusmodi præcisa, vt rationes graues non ostenderent periculum, frustra P.Vidal, & alij, qui defendunt, cum voluntate præcisa posse absque peccato mortali frequentari Theatrum, quantumvis obscænum, adderent, dum tamen non adsit periculum spiritualis ruinæ, & tamen omnes addunt huiusmodi
conditionem, si non sit periculum 430

probabile consensus. Tertiò:respondet P.Ioannes de Cardenas *d.disp.*18. *cap.*8.*num.*103. non diminui, nec extenuari periculum, quando cum externa occasione, quæ in casu nostro, est interesse Theatro, concurrit passio vehemens, vel habitus vitiosus, vel fortis suggestio Sathanæ,vel hæc omnia simul : & ideo non satis esse, vt huiusmodi spectatores conentur per actus internos, id est, per volun-
431 tatem illam præcisam extenuare periculum, sed teneri sub mortali deserere occasionem extrinsecam, & non interesse: & ratio est, inquit, quia, quando passio vehemens,habitus vitiosus, & acris tentatio vrgent, minor fit virtus, & robur ad actus internos contra validissimos hostes eliciendos, debilitatur : additque, quod licèt Deus auxilia sufficientia non neget, vt physicè possit homo
432 vincere; *illis tamen,qui temerè & sine necessitate ingrediuntur occasionem,* vt sunt illi, qui voluntariè, & sine aliqua necessitate ob solam animi recreationem assistunt, *non offert Deus*
ea

ea copiosa auxilia, quæ præstat aliis, qui necessitate coacti, occasione peccati concluduntur. Hæc doctissimus Author, quæ etiam ante ipsum docuerat Sanchez *in summ. lib.*1. *cap.*2. *num.*13.

Secundò: probatur Conclusio, quia ex sententia plurimorum Doctorum, quos suprà *Discurs.*4. *n.*348. citaui, non licet sine aliqua physica, vel morali necessitate exponere se periculo, siue certo, & proximo, siue etiam probabili peccandi: imò non solum plurimi Doctores ita sentiunt, sed omnes totius mundi viri prudentes, ita firmissimè tenent; vt in primo, & secundo supposito præsentis Discursus *suprà*, *num.*417. probaui: sed illi, qui intersunt, & assistunt Comœdiis notabiliter turpibus, &c. exponunt se periculo certo, vel saltem probabili peccandi mortaliter; ergo peccant mortaliter. 433

434

Tertiò: quia qui extra matrimonium vult inchoari in se pollutionem voluntariam, peccat mortaliter; sed qui vult interesse Comœdiis,

vult inchoari in se pollutionem voluntariam : ergo peccat mortaliter. Maior patet ex terminis inter se im-
435 mediatè connexis : Minor verò probata est *suprà Discurs.5. num.368.* in secundo supposito, & quinto argumento vltimi suppositi, *num.374.*

Quartò: quia refert D. Augustinus Historiam de Alipio quodam suo condiscipulo, ex qua euidenter concluditur, quòd quando periculum probabile datur ex præsentia alicuius spectaculi prouocantis ad malum, etiamsi intellectus præscindat, & etiamsi voluntas peccatum abhorreat, periculum non minuitur, &
436 peccatum sequitur. Alipius enim enixa voluntate non peccandi munitus, & ideo penè coactus, accessit ad Amphitheatrum, & quamvis oculos haberet clausos, ex tempore tamen acclamante, & plaudente populo, aperuit oculos: tunc sympathica vi illectus, commotus, & abstractus, audiuit, vidit, consensit, & miserè peccauit.

Sed audiamus Diuum Augustinum, qui

qui factum propriis verbis accuratè describens *lib.6. Confess. c.8. Alipius,* inquit, *Romam processerat, vt ius dis-* 437
ceret, & ibi gladiatorij spectaculi inhiatu incredibili, & incredibiliter abreptus est. Cum enim auersaretur, & detestaretur talia; quidam eius amici, & condiscipuli, cum fortè de prandio redeuntibus obuius esset, recusantem vehementer, & resistentem, familiari violentia duxerunt in Amphitheatrum, crudelium, & funestorum ludo- 438
rum diebus, hæc dicentem: si corpus meum in locum trahitis, & ibi constituitis, nunquid & animum, & oculos meos in illa spectacula potestis intendere? Adero itaque absens, ac sic, & vos, & illa superabo. Quibus auditis, illi nihilo secius eum adduxerunt secum, idipsum fortè explorare cupientes, vtrum posset efficere. Quò vbi ventum est, & sedibus, quibus potuerunt, locati sunt, feruebant omnia immanissimis voluptatibus. Ille clausis foribus oculo- 439
rum, interdixit animo ne in tanta mala procederet, atque vtinam, & aures obturauisset. Nam quodam pugnæ

casu, cum clamor ingens totius populi
vehementer eum pulsasset, curiositate
victus, & quasi paratus, quicquid illud
esset, etiam visum contemnere, & vin-
cere, aperuit oculos: & percussus est
grauiori vulnere in anima, quàm ille
in corpore, quem cernere concupiuit;
440 ceciditque miserabiliùs, quàm ille, quo
cadente factus est clamor: qui per eius
aures intrauit, & reserauit eius lumi-
na, vt esset via, qua feriretur, & deiice-
retur, audax adhuc potius, quàm fortis
animus, & eo infirmior, quo de se ipso
præsumpserat. Vt enim vidit illum san-
guinem, immanitatem simul ebibit, &
non se auertit, sed fixit aspectum, &
hauriebat furias, & nesciebat, & dele-
ctabatur scelere certaminis, & cruenta
voluptate inebriabatur. Et non erat
441 iam ille qui venerat, sed vnus de turba,
ad quam venerat, & verus eorum
socius, à quibus adductus erat. Quid
plura? Spectauit, clamauit, exarsit,
abstulit inde secum insaniam, qua sti-
mularetur redire non tantùm cum illis
à quibus prius abstractus est, sed etiam
præ illis, & alios trahens, &c.

Si

Si in Amphitheatro, in quo nō nisi crudelissima spectabatur barbaries, non fuit immunis, neque à periculo, 442
neque ab ipso peccato Alipius, qui animo obfirmato contra impiam voluptatem accesserat, & clausis oculis aderat; quis prudenter sibi persuadeat, in Theatro obscœno, & ad Venerem prouocante, esse sine probabili periculo, vbi non crudelis voluptas ad horrorem prouocat, sed humana concupiscentia delectationem sibi malè blandientem appetit, & experitur?

Respondent aliqui Recentiores; se quotidie adesse huiusmodi Theatris; & tamen obscænitates illas, 443
quamvis notabiles, nihil in se vitiosæ titillationis excitare, imò nauseam, & stomachum: à quibus libentiùs abstinerent, nisi sales, & ioci allicerent, & inuitarent. Sed præter ea, quæ *num*. 739. cum Sanctis Basilio, Hieronymo, Chrysostomo, & Antonino infrà recitabo, addo admiratione, ne dicam veneratione, dignos esse huiusmodi homines in

sæculo

444 sæculo communem vitam agentes, maiori virtute præditos, quàm fuerint olim Pauli, Antonij, Hilariones, & alij plures, qui in Eremo asperam vitam traducentes, ieiunio, flagris, cilicio, & chameuniis extenuatos, & penè consumptos habuerunt corporis sensus; nunquam tamen parem, aut similem animi, corporísque tranquillitatem assequi potuerunt: imò maximo libidinis ardore succensi, quando orationis, & fidei clypeo
445 muniti, non satis poterant ignita Dæmonis tela repellere; aliquando se nudos volutabant in vepribus, aliquando niuium rigori se totos exponebant, & aliquando etiam aquis, in stagno mox hyemali frigore congelando, immergebant, donec incendium illud penitus extingueretur. Quid enim erant impura illa phantasmata, quibus vtebatur Sathan, vt Sanctissimos viros prouocaret ad Venerem, quam scenica quædam
446 machinamenta, non admodum dissimilia illis, quibus nunc histriones vtuntur?

Etsi

Etsi rursus supradicti spectatores,
de se,suisque viribus præsumentes,
dixerint, rationes graues persuadeant
alios , vt credant , adesse periculum
probabile , nobis probabile non est;
quare tuta conscientia possumus in-
teresse Theatro.

Respondeo;esto, ita sit;sed huius-
modi homines Eremicolis illis San-
ctissimis sanctiores ; Alipio fortis-
simo fortiores,& sub graui rationum 447
pondere minimè fatiscentes , si se
ipsos à periculo probabili glorian-
tur immunes;considerent ex sequenti
Discursu , an à peccato cooperatio-
nis liberi sint existimandi.

DISCVR

DISCVRSVS VIII.

Assistentes Comœdiis notabiliter obscænis peccant mortaliter,
448 *ex eo præcisè, quod cooperantur peccato mortali histrionum.*

ALterum motiuum est cooperatio, qua spectatores assistunt histrionibus, qui ex eo, quod Comœdias valde obscænas, & prouocatiuas agunt, mortaliter peccant, vt
449 suprà vidimus *n.*257. & esse communem sententiam concedit ipse P. Vidal, & confirmatur *infrà n.*711. ex hoc enim motiuo, etiamsi periculum probabile non adesset, non video quomodo possint huiusmodi spectatores à lethali crimine excusari: Nam, vt dixi in prima editione huius meæ Comœdio-crisis *conclus.*6. peccant consensu iuxta doctrinam *Apostoli ad Roma.c.*1. dicentis; *non solùm facientes*

tes peccant, ſed etiam facientibus con-
ſentientes. Cuius authoritas adeo pro-
bat intentum, vt Dian. *part.* 5. *tract.* 13. 451
reſol. 81. me citato, cum Hurtado de
Mendoza: & *part.* 11. *tract.* 5. *reſol.* 52.
licèt P. Nicolai Baldelli, & Turriani,
& Ferrantini contrariam ſententiam
attulerit, nihil tamen, vt ſolet, pro ea
dixit, quo, vel probabilem ſibi vi-
deri, declararet: imò *part.* 11. rogatus
ab amicis per litteras, vt ſi Authores
aliquos pro illa haberet, afferret,
illis, vt morem gereret, allegauit præ-
ter Ferrantinum, etiam P. Bardi; ſed
non ſolùm huius ſententiæ probabi-
litatem diſſimulauit, verùm ſemper
magis in meam ſententiam propen-
ſus, concludit ſententiam Turriani, 452
Baldelli, Hurtadi, & Ferrantini, *eſſe*
periculoſam.

Dicunt enim prædicti Authores, quod ideo ſpectatores, qui primò confluunt, ſunt verè cooperatores illius peccati, quo peccant hiſtriones, quia illi ſunt cauſa determinatiua, vt agant comœdiam obſcænam; at verò ſecundò confluentes,

non

non sunt causa, cur comœdia agatur, cum adhuc ageretur, etiamsi ipsi non
453 adessent: & sic, quia non influunt in hunc effectum, non possunt dici causa illius, & ideo histrionum peccato non cooperari: hanc distinctionem amplexus est P. Vidal, & ideo, licèt nihil respondeat ad illam confirmationem, pùtat nihilominus difficultati satisfecisse, vt *num.* 300. prænotaui.

Sed hoc non obstante, dico, distinctionem huiusmodi nullius esse
454 roboris, & efficaciæ: nam quidquid sit, quod primi confluentes cooperari dicantur, quatenus constituunt illum sufficientem numerum hominum spectatorum, cum quo recitabunt histriones, & sine quo non recitabunt: & secundo confluentes, quia sine ipsis recitabunt, non dicantur cooperari; illud est certum, quòd si secundi non cooperantur, ad minus negari non potest, quòd non con-
455 sentiant huiusmodi actioni; ergo ex testimonio Diui Pauli verè peccant: & probatur ratione; nam consentire,

v. g.

v. g. Ioannem peccato aliorum, & circa illud non operari, nihil aliud est, quàm voluntatem Ioannis tendere in idem obiectum peccaminosum per actum complacentiæ, seu delectationis. Exemplum sit; Paulus in duello occidit Petrum, Ioannes à longè stans latet, videt, & delectatur de 456
morte Petri communis inimici: quis neget, Ioannem etiam peccare in corde, eodem peccato, & in eadem specie homicidij, ac Paulus peccauerit in opere, licet Paulo Ioannes non fuerit causa determinatiua, vt prouocaret Petrum ad duellum, & occideret, & sic nullo modo fuerit illi cooperatus? Constat igitur etiam sine cooperatione spectatores consentire obscænitati histrionum; & hoc est, quod D. Paulus *loc. cit.* dixit;
Digni sunt morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, vbi D. Thomas in commentario intelligit, tam mortem corporalem hominum, quàm spiritualem animarum; quæ est peccatum mortale; & notat, quòd pœna huius mortis debetur 457

betur primò *iis, qui talia agunt peccata; & non ſolùm illis, ſed etiam iis,*
458 *qui conſentiunt facientibus: & hoc dupliciter, vno modo directè, vel laudando peccatum, vel præbendo conſilium, vel fauorem, ſecundum illud* 2. Paralip. cap.19. *Impio præbes auxilium,*&c. *vel indirectè, quando non reprehendunt, aut impediunt quocunque modo ſi poſſunt; & præcipuè, ſi ex officio incumbat.* Sed & ſecundi generis Auditores
459 hiſtrionibus præbent fauorem, quatenus, vel mercedem ſoluunt illis, vt faciunt primi, vel riſu, plauſu, & ipsâ aſſiſtentiâ fauent: ergo iuxta doctrinam ſancti Thomæ directè conſentiunt, etiamſi non cooperentur. Vide *n.*135. D. Auguſt. de ſe loquentem.

Pater Bardi apud Dianam *d. reſol.*52. conſiderans difficultatem præſentem, non in ſpeculatiua, ſed in
460 practica, dicit eſſe valde periculoſam: ſed D. Ferrantinus volens benignam aliquam ſententiam conſtituere pro illis, qui Theatrum frequentant, dicit, Hurtadum, & me, nimis rigidè procedere; vt autem ſuam

ſuam ſententiam explicet, imaginatur hoc pactum inter hiſtriones, & illos, qui pecuniam ſoluunt, iniri: nimirum, ex ſuppoſitione, quod vos acturi ſitis hanc fabulam, ad quam iam ex concurſu ſufficientis auditorij determinati eſtis; ſeu ſtante hac conditione, quod fabula peragatur, do vobis pecuniam, vt concedatis mihi locum in aula: hoc autem pactum exiſtimat Ferrantinus eſſe licitum, ſicuti licitum eſt, causâ vrbanitatis inuitare amicum ad cœnam in die ieiunij, quando amicus iam determinatus eſt ad cœnandum alibi, vbi cœna eſt præparata; ergo ſimiliter, licebit dare pecuniam hiſtrionibus iam determinatis ad agendam co- 461
mœdiam, ad inſtantiam primorum confluentium.

Sed reſpondeo, non licere de vno caſu, argumentari ad alium, cum inter vtrumque ſit valde diſpar ratio: nam quando plures ſimul cœnant, & inuitans licitè cœnat, cum illa die ex hypotheſi non teneatur ieiunare; inuitatus autem illicitè cœnat, cum

ex

462 ex hypothesi teneatur ieiunare: quare vnusquisque suam cœnam mandu-cat, & ideo non vniuntur formaliter in eadem actione peccaminosa; at verò si inuitans teneretur etiam ipse ieiunare, argumentum Ferrantini non haberet locum; quare non sic in auditione comœdiæ illicitæ: nam primi generis spectator peccat, tum quia dat causam histrionibus; tum quia consentit obscœnitati graui, &
463 condelectatur in illa; & etiam secundi generis spectator, esto, non det causam comœdiæ, condelectatur tamen, & consentit, ergò peccat.

Sed falsum est, hunc secundi generis spectatorem non cooperari: quod sic probo. Ponamus, v. g. ad transferendum magnum lignum, seu lapidem, requiri decem homines motores, & sufficientes ad trahendum: si dum trahitur lignum, addantur,
464 & accedant duo alij homines, & vniantur cum illis primis decem, & lignum simul trahatur ab omnibus, seu transferatur in locum suum: nemo negabit, translationem esse causatam

à

à duodecim motoribus; licèt à principio determinatum fuisset, vt fieret solùm à decem concausis sufficientibus. Et ratio est, quia, vt concausæ aliquæ producant hunc, vel illum effectum, non est necesse, vt sint tot, 465
& non plures: sed si plures sint, dummodo omnes, & singulæ influant; &, vt in exemplo allato trabem impellant, & tranferant, singulæ pro sua parte. Ad hanc veritatem probandam multa possunt occurrere exempla, quæ quotidie sunt in Praxi, v.g. in capitulo, vel congregatione viginti electorum, si concurrant vndecim, sufficiunt, vt electio sit valida; & si concurrant duodecim, &c. 466
adhuc erit valida, & plures erunt concausæ, quàm sufficiant; & omnes cooperantur.

Similiter histriones non solùm mouentur, & determinantur ad actionem; quia spectatores primi generis soluunt pecuniam sufficientem, audiunt, rident, plaudunt, & acclamant; 467
sed etiam quia spectatores secundi generis eadem præstant; cuius rei signum

ſignum eſt, quia hiſtriones non ſtatim, ac completus eſt numerus auditorum primi generis, incipiunt comœdiam; ſed moram trahunt,& expectant auditores ſecundi generis, à quorum pecunia, riſu, plauſu, & audientia etiam mouentur, vt recitent comœdiam; Ergo nulla diſtinctio:& ſic omnes ſunt cooperatores, & peccant. At ſi qui latenter adeſſent, ita
468 vt nullo modo influerent, neque pecunia,neque riſu,neque plauſu,neque manifeſta præſentia, quia latent, certum eſt, quòd etiam iſti nihilominus peccarent mortaliter conſenſu, & complacentiâ notabilis obſcænitatis, *vt ſuprà*, *n.*174.docebat Gabriel, de eo, qui aſſiſtit ludo alearum; hic enim ludus fit, etiamſi non adſint inſpectores,& ideo conſentiens pec-
469 cat mortaliter, etiamſi ludo non cooperetur.

Ex Religione, ſeu Societate IESV.

Ioannes Azor. tom.3. inſt. lib.5. cap.

cap.27. quæst.7. *Item licèt ludus sit peccatum mortale ex se; non erit mortale peccatum aspicere, & delectari* 470 *absque vllo periculo mali consensus in me, si tantùm delector eo ludo, vt quia quid iocosum, vel quid ridiculum, aut gratum sensibus habet in se: quoniam tunc non delector in re gesta, sed in modo rei, qui est bonus in se. Raro tamen in aspectu similium rerum, maximè obscænarum, deerit peccatum mortale, propter hominum fragilitatem*, &c.

Emanuel Sà V. ludus. *Histrionum* 471 *ludi non condemnandi si modestè agant. Histriones sunt infames, neque eis datur Eucharistia, dum perseuerant in arte cum peccato, &c.* ita ille *n.*10.

Sanchez *lib.*9. *de matrim. disp.*46. *n.*40.ait: *Ex his infertur primò, quamuis comœdiis interesse non sit mortale, vbi nec res turpes repræsentantur, nec modus repræsentandi est turpis; vel si* 472 *hæc concurrant, audiuntur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsûs in aliquod mortale peccatum. At quando turpia repræsentantur, vel modus est turpis, audiunturque*

que

quæ ob delectationem, ex ipſis turpibus rebus conſurgentem, modo expoſito n. 38. *aut cum probabili ruinæ periculo, eſt*
473 *lethale*, &c.

Itaque in ſententia huius Authoris, vt inſpectio huiuſmodi comœdiarum non ſit mortalis, requiritur primò, quòd in eis turpia non repræſententur, vel, ſi repræſentantur turpia, quòd modus ipſe repræſentandi non ſit turpis. Concedit etiam, data hac hypotheſi, quòd in eis turpia, vel modo turpi repræſententur, poſſe inſpectionem huiuſmodi non eſſe pec-
474 catum mortale: primò, ſi ob aliquem honeſtum finem audiantur, abſque periculo alicuius conſenſus peccaminoſi mortaliter; & ſecundò, ſi delectatio, quam quis ex turpi illa repræſentatione percipit, ſiſtat in illo modo artificioſo, & ingenioſo, quo Comici repræſentant: ſin autem delectatio ſit de turpitudine, aut modi, aut rei repræſentatæ, ſentit, eſſe pec-
475 catum mortale. Hæc eſt ſententia Sanchez, quæ veriſſima eſt, & communis Caietano, & aliis hucvſque

citatis:

citatis : ſed quia, intellectus facilè
conſiderat delectationem, conſur-
gentem ex modo artificioſo,& inge-
nioſo, non conſiderando delectatio-
nem turpitudinis repræſentatæ; ſen-
ſus verò, quando vtraque delectatio
ſimul concurrit,& occurrit potentiæ
ſenſitiuæ, non diſcernit, nec vnam
ſeparat ab altera, eò quod eſt poten-
tia materialis, quæ non abſtrahit: 476
ideo nemo ſanæ mentis negabit,
hanc ſententiam facilius exſcribi, &
explicari, quàm practicari in facto;
vt Azor. *ſuprà relatus n.*470. oppor-
tunè admonuit; tandem Sanchez
ipſam inſpectionem ex vana curioſi-
tate, & cum ſola delectatione modi
artificioſi, non excuſat à peccato
veniali.

Idem Author n.38. *Dicere turpia* 477
*ob notabilem rei turpis delectationem
cogitata, quæ cogitatio excitatur, &
fouetur verbis illis,eſt mortale. Conſtat,
quia illa delectatio conſurgens ex re
turpi apprehenſa, eſt mortalis, ergo à
fortiori illam verbis fouere : & in hoc
caſu eſt vera ſententia relata* num. 33.

nec credo contradicere Doctores citatos n.32. *solum enim volunt non esse mor-*
478 *tale, quando non admittitur delectatio aliqua ipsius rei turpis cogitatæ, sed delectatio sola ex verbis consurgens: quod verum reputo, sicut dixi de delectatione aspectus* n.22. *atque idem prorsus sentiendum est, de delectatione captata ex turpibus gestibus, aut nutibus, turpiumve auditione: erit enim mortalis, cum intenditur delectatio consurgens ex rebus ipsis turpibus cogitatis, quæ auditione illa, aut gestibus, aut nutibus fo-*
479 *netur: secus autem erit venialis*, &c.

Itaque Sanchez excusat aliquando à mortali, à veniali nunquam, & dicit, hanc esse doctrinam communem, quia etiam Doctores, quos *n.*32. citauerat, illam admittunt. At isti Doctores sunt illi, qui benigniorem partem secuti, dicunt, delectationem esse solùm de modo.

480 Filliucius tract.30. cap.10. *Si Comœdiæ res turpes repræsentent, vel eo modo, vt ad Venerem, vtplurimùm excitent, peccare mortaliter eas recitantes: ratio est, quia sunt causa multis ruinæ,*

ruinæ, vtpote repræsentantes ea, quæ vt plurimum excitant ad ruinam. Quod verum est, etiamsi repræsentans id non intendat, quia ex se, & re ipsa præbet occasionem ruinæ. Idem dic de componentibus ea: secus autem si leuia quædam, & remotè excitantia ad Venerem 481
contineant; tunc enim non excedunt culpam venialem, &c. *eodémque modo resoluendum est de interessentibus comœdiis, non esse scilicet peccatum, cum nec repræsententur res turpes, nec modus repræsentandi turpis est. Si hæc concurrant, & ob solam curiositatem audiantur, vel ob delectationem repræsentationis, & alioquin non sit probabile* 482
periculum lapsus in mortale, non excedit veniale ex Sanchez num.40. *nec etiam Clerici peccant sublato scandalo, quod ferè non intercedit ex Sanchez, quia frequentissimè intersunt.*

Nota Filliucium, quoad peccatum mortale, semper loqui in sensu conditionato, si non sit periculum lapsus, quod tamen nunquam dicit 483
abesse; nunquam etiam excusare à peccato veniali; de Clericis non

dicere absolutè, quod non præbeant
scandalum, sed, quod ferè non
præbeant.

Paulus Comitol. *lib.5. respons.mo-
ral. quæst.*11.ait : *Tum eos, qui agunt
comœdias, tum eos, qui audiunt impu-
dicas, culpam lethalem non effugere,*
484 *&c.* & pluribus probat, quæ nimis
longum esset transcribere.

Valerius Reginald. *lib.*22. *num.*8.
asserit : *Peccatum mortale esse comæ-
diis interesse, in quibus res turpes re-
præsentantur, aut modus repræsentandi
est turpis; siquidem audiantur ob car-
nalem delectationem, inde prouenien-
tem, aut ob curiositatem quidem solam,
sed coniunctam cum periculo notabili
consentiendi in huiusmodi delectatio-*
485 *nem, aut certè cum scandalo: vt con-
tingere potest maximè Ecclesiasticis,
qui eo præsertim nomine prohibentur
talibus nugis interesse; multò verò ma-
gis peccare censendi sunt, qui tales
comœdias, aut componunt, aut exhi-
bent, cum sint causa ruinæ multorum:
nec refert quod eam non intendant,
quia dant ei sufficientem causam,*&c.

P.Lui

P. Luisius Turrianus *in sum. Theol. moral. part.1. de virt. & vitiis, c.285. num.5.* dicit: *Histriones huius temporis sunt in statu peccati mortalis, neque possunt absolui, quando habent animum perseuerandi,* & n.6. *neque admittendi sunt ad communionem; eo quod comœdiæ eo modo, quo fiunt, in Hispania non sunt licitæ.* 486

P. Nicolaus Baldellus tom.1. Theol. mor. lib.3. disp.18. num.1. *Poëtæ, & Actores comœdiarum, in quibus turpia, & obscæna repræsentantur, peccant mortaliter, si scribant, aut dent materiam ex intentione fouendi delectationem turpem, & Veneream in se, vel in aliis: quia intentio ipsa talis delectationis de se est mortalis, ergo malitiam refundit mortalem in actionem, quæ ad ipsam dirigitur.* 487

Num.2. *Iidem peccant mortaliter peccato scandali, si comœdia sit valde turpis, & multum excitet ad res Venereas; quia dant aliis occasionem ruinæ, &c. neque ad hoc est necesse, vt talis ruina aliorum sit directè intenta, & per se volita, sed satis est si sit volita in* 488

ipsa actione, & scriptione; cum per se ad illam sequatur, & non per accidens, sed ex ipsa conditione, & natura talis actus, &c.

489 Num. 3. *Maximè huius generis videntur esse illa, in quibus mulieres interloquuntur: siquidem audire earum voces, est multò periculosius vita animarum, quàm sit vita corporum audire sibilum Basilisci.*

Num. 4. *Si absit periculum scandali, & ruinæ spiritualis, neque intendatur delectatio Venerea, sed vana quædam*
490 *relaxatio animi, vel ostentatio artificij in agendo, aut scribendo, non peccant mortaliter; quia scriptio, locutio, & repræsentatio rei turpis, non est intrinsecè mala, sed solum ex circunstantia finis, vt patet in eo, qui scribit, aut loquitur ad effectum docendi*, &c.

Num. 5. *Verùm hic casus, in quo Poëtæ, & Actores comœdiarum, & spectaculorum turpium solùm peccent venialiter,*
491 *moraliter loquendo, vix vnquam contingit; cum ab huiusmodi obscænis, vix vnquam absit delectatio, aut periculum scandali: & ideo absolutè, & sine distinctio*

stinctione videntur damnandi peccati mortalis habita ratione illius, quod moraliter loquendo, contingit semper, siue vtplurimum: non autem illius, quod potest contingere per non repugnantiam Metaphysicam: & de facto, 492
hoc modo damnantur in Sacris Canonibus cap. Pro dilectione, de consecr. dist. 2. & cap. Scenicis eo.

Num. 6. *Certum est, spectatores, & auditores peccare mortaliter, si intersint ex deliberata intentione delectationis Venereæ, vel cum probabili periculo in eam consentiendi, vel cum scandalo aliorum,* &c. *quod si intersint* 493
ob solam curiositatem, vel propter vanam delectationem ex artificio, & excellentia Actorum, vel, ne habeantur inurbani, & notentur vitio hypocrisis, solùm peccant venialiter, vel etiam absolutè non peccant, si intersint bono fine: ita Nauarrus in manuali, c. 20. n. 14. *ex communi sententia.*

Num. 7. *Idque est intelligendum* 494
etiam de Clericis, cap. Presbyteri, dist. 34. cap. Clerici, 2. de vit. & honest. Cler. cap. Non oportet, 2. de con-

secr.dis.5. cap.Præterea, dis.51. *Quia prohibitio, quæ specialiter illis fit, intelligitur quoad decentiam, vt notat Innoc.*in cap.Clerici, de consecr.dist.5. *vel certè non obligat ad mortale, si absit scandalum, & contemptus, vt notauit Caietanus* in summ. V.Clericorum peccata, in fine; *& scandalum hoc tempore credi potest, abesse commu-*
495 *niter, cum frequentissimum sit, vt etiam Clerici comœdiis intersint, vt notat Sanchez* de matrim. disp.46.n.40.

Et num.8. loquens de illo, qui dat causam huiusmodi spectaculis turpibus, dicit, tunc peccare mortaliter, cum *pro ipso, & in ipsius gratiam fiunt, &, si ipse non adesset, non fierent.*

495 Et num.11. *Atque ex hoc capite, vniuersaliter peccare mortaliter omnes illos, qui scientes turpitudinem, & obscænitatem comœdiæ, primi ad illam confluunt, & histrionibus, ex se non paratis, soluunt. Quia re vera per ipsos est, vt comœdia fiat. Postquam verò sufficiens numerus iam confluxit, & externo peccato histrionum iam est data sufficiens causa, non videtur ex*

hoc

hoc capite damnandus, si quis alius accedat; quia non amplius eos fouet in peccato; neque eorum peccato dat causam, cum hoc vtrumque sufficienter sit præstitum iam ab aliis. 497

Et num. 12. *Quoad Magistratus, & Principes, ad quos spectat prohibere, vel permittere huiusmodi comœdias, & spectacula.*

Primò; certum est, quod peccent mortaliter, si illa fieri mandent; quia non potest aliquis licitè mandare, quod alius non potest licitè exequi. 498

Secundò; mortaliter peccant, si authoritatem iis præstent, easque approbent, vel aliter histriones in peccato foueant; quia similiter etiam peccat priuatus, si præsentia, aut risu, aut pecuniis id faciat, vt iam diximus.

Tertiò; optimè facerent, si ex sententia Aristotelis lib. 7. Polit. cap. vltim. *obscænitates huiusmodi etiam per leges, exterminarent è Ciuitate: vel si ex præscripto Platonis* lib. 7. de legib. *non prius liceret histrionibus in scenam prodire, quàm essent ipsorum fabulæ à legitimis Magistratibus approbatæ, &c.* 499

500 *Quartò;non videntur peccare, si pro aliquo tempore, ad vitandam in populo maiorem licentiam, histriones, & histrionum spectatores non puniant:quia, vt docet Sanctus Thomas* in 4. dist.33. quæst.2.art.2.quæstiunc.2. *Nauar.*de reddit.Eccles. quæst.1. monit.54.n.3. *&* quæst.3. monit.3. n.5. *Permissio,*
501 *quæ solum fit non puniendo, non autem approbando, licita est, si fiat ex causa; etiamsi alioquin sit de re illicita, vt si fiat, v. g. ad vitandum maius malum, & appellatur permissio comparatiua, vel tolerantia;& illius multa habentur exempla etiam in iure: vt v. g. quòd permittantur comessationes immoderata pro Dominica Quinquagesima, & diebus sequentibus* c.Denique, dist.4.
502 *& quod ad vitandam occisionem vxoris, permittatur, maritus adulterari cum altera*, cap. Si quod verius, 33. q.2. *& similes; neque illud quod hoc modo permittitur, potest dici, quod approbetur* cap. Meretrices, pun. 32. quæst.4. *cum aliud sit non punire, & aliud approbare, & in casu præsenti de comœdiis, quòd possint permitti à Princi*

Principe sine peccato, expresse docet Nauar. conf.3. de Iudæis, n.2. lib.5.

DISCVRSVS IX.

Probatur Clericos, audientes Comœdias notabiliter obscænas, peccare mortaliter. 503

IN his, quæ P. Nicolaus Baldellus ex Sanchez adducit, & probare conatur, quatuor sunt, quæ particulari indigent discussione. Primum est, 504
quod *n.4.& 6.* dicit, comœdiis notabiliter obscænis interesse ob solam vanam curiositatem, non esse peccatum mortale; sed hoc iam Discursu secundo reprobaui: Secundum est, quod *n.7.* ait, Clericos ratione scandali non peccare mortaliter. Tertium, quod *n.8.& 11.* asserit, peccare mortaliter tantùm illos, qui primi confluunt ad Theatrum: sed contrarium 505
iam puto, me satis probasse Discursu octauo; & quartum, quod sub *n.12.*

quarto

quarto loco addit, nimirum, quod licet Principes, & Magiſtratus, vniverſaliter loquendo, peccent, approbando, aut etiam permittendo huiuſmodi comœdias; tamen pro aliquo tempore, ad euitandum maius malum, poſſe illas permittere. Itaque ex
506 quatuor prædictis capitibus, ſuperſunt examinanda, ſecundum, & quartum; de ſecundo igitur hîc primo loco diſputare debemus.

Fundamentum, quo aliqui Authores innixi ſcripſerunt, ad fauorem Clericorum, ipſos nimirum poſſe ſine peccato mortali comœdiis obſcænis intereſſe, eſt dictum Innocentij *in c. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric.*
507 vbi dixit, prohiberi illis Theatrum non ex præcepto, ſed tantùm propter quandam decentiam, & honeſtatem. Sed vt conſtet, quàm fragile ſit hoc fundamentum, cui ſcribentes, vnus poſt alium adhæſerunt, & vt appareat, quanti facienda ſit hæc Innocentij ſententia, ita intellecta, oportet conſiderare, quod Innocentius totam, & integram illius Textus interpreta

terpretationem, breuissimè insinuauit, & his tantùm verbis totam ca- 508
pituli explicationem comprehendit: *Non credimus hoc capitulum loqui de præcepto, sed de consilio, & honestate.* At Petrus Ancharanus, quem referunt Glossa, & Panormitanus, dicit, quod aliqua in hoc capitulo sunt de consilio, & aliqua de præcepto; & verè quod in dicto *cap. Clerici ab Innocentio III.* his verbis expresse dicitur, quòd *Clerici Mimis, ioculatori-* 509
bus, & histrionibus non intendant. Et verba ipsa, vt Barbosa *in collectanea huius cap.* satis indicat, non significant, quòd Clerici comœdiis spectatores non intersint; sed quòd in scena non agant, nec Theatrum exerceant: hoc autem, quoad honestatem tantùm, & decentiam esse prohibitum, improbabile omnino videtur, & inverisimile, quod id voluerit Innocen- 510
tius Commentator; cum ex tali causa, Clerici, tanquam infames, ad Clericatum promoueri non possint, vt communis sententia tenet, & multis iuribus allegatis notauit Barbosa

in

*in d.collect. num.*2. ergo non omnia, quæ in hoc capite prohibentur, sunt prohibita, quoad solam decentiam.

Et ideo *n.*3.relata Innocentij sen-
511 tentia, addit Barbosa, verius esse, quod docuit Caietanus *in summ.* & quod hîc sequitur Baldellus, nimirum, non esse peccatum mortale, quòd Clerici huiusmodi spectaculis obscænis intersint; nisi aut ratione contemptus, aut ratione scandali, quod hodie dicunt cessare, cum frequentissimum sit, nunc Clericos comœdiis huiusmodi interesse. Ita verè sentiunt, præter Caietanum, Sanchez *de matrim. lib.*9.*disp.*46 *n.*40. Barbos.*in d.collect.*
512 *n.*3.Bonac.*de matrim.quæst.*4.*punct.*9. *n.*22.& *loc.infrà citato.* Diana *part.*2. *tract.*17. *resol.*35. Baldellus *suprà*, & Busembaus *in medul. lib.*3.*tract.*4.*c.*2. *dub.*1.*n.*8.*&* 10.

Verùm, pace tot Authorum, hæc ratio nunquam mihi placere potuit, vt prædixi in prima huius operis editione, & iterum displicet. Quid enim est scandalum, si in propria sui signi-
513 ficatione accipiatur, nisi factum, vel dictum

dictum minus rectum, præbens occasionem alterius ruinæ. Ita Sanctus Thomas 2.2. *quæst.*43. *art.*1. quem sequuntur omnes; ergo quòd plures Clerici sint, quod turpes comœdias frequentent, non solùm non remouet occasionem, aut non refrenat animum in personis laicis adeundi huiusmodi comœdias, vt videntur supponere præcitati Doctores, sed 514
imò auget, & maiorem conscientiæ securitatem præbet. Nam, ponamus nunc, esse tempora illa antiqua, in quibus rari, & paucissimi erant Clerici, qui ad huiusmodi spectacula accedebant; & fuerint, v.g. tres, aut quatuor: laici, qui dubitabant, an sibi liceret huiusmodi accessus; considerantes Clericos, qui ratione status, & professionis Clericalis, licèt magis tenerentur vitare profana illa spectacula, illis tamen intererant: infere- 515
bant intra se, si licet istis multò magis licebit nobis; & ita accedentes, turpitudine illa repræsentata ab histrionibus delectabantur, excitabantur, & peccabant; hac nimirum ratio-
ne

ne pauci illi Clerici præbentes laicis occasionem ruinæ, peccabant peccato scandali, & iuxta sententiam Caietani, & aliorum, Clerici tunc temporis, tenebantur sub obligatione
516 peccati mortalis, non interesse comœdiis inhonestis.

Sed hodie, quia frequentissimum est, Clericos adire huiusmodi comœdias, ponatur casus, quòd hodiernæ comœdiæ mox recitandæ accedant centum Clerici, laici nonnulli, qui conscientiæ timore agitati, dubitant; videntes in tanto numero Clericos, facto ipso, declarare, licitum esse accessum; & quò plures sunt numero,
517 eò maius esse testimonium, & securitatem conscientiæ; existimant omnino sibi licere: & ita accedentes inculpabiliter, quatenus exemplo tot Clericorum certiorati, formant sibi rectam conscientiam, deinde audiunt, & vident, quæ non putabant, & peccata, quæ fortè ignorabant, addiscentes, in illa miserè prolabuntur: En igitur quomodo frequentior Clericorum accessus, nedum scandalum

non

non tollit, sed magis adducit, & 518
multiplicat; præsertim quia hæc est apud sapientes recepta sententia: vt Tullius *lib.4. quæst.3. ad Sulpitium* scripsit, quod illud *quod exemplo fit, id etiam iure fieri homines putant.* Et quia moraliter certum esse videtur, quòd in frequentissimo Clericorum numero plures Docti sint, & Theologi, & nonnulli etiam in Dignitate constituti: ideo quod ab istis passim fieri solet, id etiam legitimè, & cum 519
voto peritorum fieri non temerè iudicatur, à Populo. Quare dum exemplum plurium Clericorum homines conscientia timidos, tutos reddit, & mouet, rectè fieri potest, vt Populus non peccet, Clerici autem & peccent, & magis peccent, quo in maiori numero obscæna spectacula frequentant.

Si verò ratio scandali minus pro- 520
priè, & in significatione magis lata, accipiatur pro certa quadam admiratione, quæ ex facti alicuius nouitate inspecta procedit, vt aliquando solere accipi scandalum, notauit Bonac.

de

de Sacram.disp.4.quæst 6.punct.1.n.18. Concedo, quòd modo, quia frequentissimus est numerus Clericorum, ad hæc obscæna spectacula accedentium, cesset scandalum, quod est admiratio: nam hæc non est de rebus solitis, sed de nouiter contingentibus:
521 at verò non cessabit scandalum, quod est peccatum, quatenus est causa peccati, & de quo præcitati Doctores loquuntur.

Hanc distinctionem de scandalo propriè, & impropriè dicto, quam etiam antea breuiter indicaueram, nunc paulò latiùs prosequutus sum, quia illam in hac materia inuenio
522 placuisse aliis, & præsertim Luisio Hurtado *in tract. de trib. virtut. Theol. vol.2. distinct.173. sect.28. subsect.9.* & P.Io. Domin. Ottoniello *in tract. de Christian. moder. theatr. lib.3. punct.33. pag.51.* me citato.

Sentio igitur cum Caietano, Sanchez, Bonac. Barb. Dian. Baldell. & Busemb: quòd Clerici interessentes comœdiis, valde inhonestis, peccent ratione scandali; sed ab istis dissentio,

quòd

quòd ratio scandali his nostris tem- 523
póribus cesset, propter frequentissimum Clericorum accessum, cum peccatum, imò sit maius.

Tandem pro conclusione præsentis discursus prætermittere non debeo, quòd omnino videtur incredibile, Caietanum, Sanchez, Bonac. & alios, voluisse Clericis concedere, quod communis sententia denegat
laicis. Quare mihi videtur quòd tam 524
Innocentius, quàm alij post ipsum, sint intelligendi, quòd comœdiis licitis, & honestis, etiamsi omnibus laicis liceat assistere, Clericis tamen non liceat, ex quadam decentia, & conuenientia, cum ipsi Clerici ex propria Clericatus professione, vt Innocentius III. loquitur in d. cap.
Clerici. *Debeant in Ecclesiasticis of-* 525
ficiis, & in aliis bonis studiis, se diligenter exercere.

DISCVR

526 # DISCVRSVS X.

Principes, & Magistratus approbantes, aut etiam permittentes publicè Comœdias valde obscænas, peccant mortaliter.

QVartum, quod peculiarem postulat reflexionem, est id, quod P. Baldellus *n.* 12. loco quarto dicit, nimirum posse Principem, aut Magistratum pro aliquo tempore, ad vitandum maius malum præuisum, permittere turpes, & obscænas Comœdias; & ipsum Principem, ita
527 permittentem, non peccare; quia datur permissio comparatiua, quæ comparata ad maius malum vitandum, quamvis ipsa permissio sit de actione peccaminosa, non est peccatum.

Contra istam P. Baldelli permissionem,

ſionem, P. Ioan. Dominicus Ottonellius Soc. IESV, ſi tamen ipſe eſt, qui vocatur D. Odomenigigus Lelonottus à Fanano, in opere inſcripto. *Della Chriſtiana moderatione del Teatro*,&c. *c.4.punct.4. not.7. fol.255.*
propoſuit per litteras P. Baldello, 528
olim magiſtro ſuo, quaſdam rationes theologo dignas, quas ipſe Gloſſam appellat: & P. Baldellus, illis conſideratis à ſuæ permiſſionis ſententia recedere promittens, reſpondet, quòd inſpectis dictis rationibus, ſibi per epiſtolam adductis, verè incertum ſibi apparet, an Principes habeant maius malum, quod in comparatione
illius poſſint permittere comœdias, 529
tanquam minus malum: & ideo, *Si* inquit, *non me pœnitet, hoc motiuum addam in noua operis editione.*

Hæc P. Baldellus de ſua illa permiſſione: contra quam, ſi fortè ſententiam non mutauit, quod ego neſcio, liceat mihi ad ea, quæ d.D.Odomenigigus adduxit, ſupperaddere, huiuſmodi permiſſionem, eſſe in
praxi valde difficilem; quod, vt oſten- 530

dam;

dam; ſuppono, maius illud malum, ad quod vitandum eligitur talis permiſſio, debere eſſe malum culpæ; alioquin malum pœnæ quantumvis magnum, nunquam poſſet dici maius: nam malum culpæ excedit omne malum pœnæ, vt Theologi docent communiter; & ideo ab homine Chriſtiano deteſtari debet ſupra
531 omne aliud malum; vt probat inter alios Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo *de pœnit. diſput.* 5. *ſect.* 2. etiam ſupra pœnam æternæ damnationis in inferno. *Id. ib. ſect.* 3. hoc ſuppoſito.

Mihi rem attentè conſideranti, occurrit illa peccatorum mortalium multitudo, & grauitas; quæ morali certitudine præſupponi poteſt, ex iterata huiuſmodi ſpectaculorum re-
532 præſentatione, intra paucos Carnispriuij dies, quos Baldellus in dicta reſponſione, aſſerit, eſſe tempus ſuæ aſſertæ permiſſionis: nam in ſententia præſertim ipſius certum eſt, quòd peccant mortaliter in primis Actores, vt *n.* 1. & 2. probat idem Author: deinde

deinde peccant omnes & singuli spectatores, qui dant causam,& procurant, modo ab ipso explicato *n*.8. & 11. vt histriones recitent;& tertiò peccant etiam illi,qui licèt non dent 533
causam illi actioni; quia tamen non sunt animo ita fortes, & ea virtute præditi, vt periculo expositi resistant impuris illecebris;sed sibi malè blandientes, turpitudini consentiunt, & obscœnitati. Quare tot, & tam ingenti grauium peccatorum numero simul considerato,& comparato cum illo imminente malo culpæ, quod in populo contingere potest,& Prin- 534
ceps intendit euitare: difficile est æstimare, an hoc, vel illud malum, sit grauius; præsertim,quia peccata, quæ fiunt ex causa Comicæ actionis, sunt moraliter certa, & simul cum ipsa actione existunt: at verò maius illud malum, quod à longè præuidetur,malum futurum est,& impedibile saltem à Deo, cuius prouidentiæ propterea prudenter est committendum, vel quod ab ipso Principe alia ratione potest auerti, vt ipse P. Bal-

dellus

535 dellus *in dicta requisitione fatetur*, & sic incertum est;& tandem quodnam erit hoc malum,& in qua specie peccati,quod in populo Christiano,suo Principi obsequioso timeri potest, & quod in ratione mali culpæ præponderare debeat tot peccatis histrionum, & spectatorum? certè non videtur, posse designari. Et post hæc
536 ita mecum examinata, inuenio P. Hurtadum *de trib. virtut. Theolog. disp.173. sect.28. subsect.11.* his verbis meæ sententiæ adstipulantem. *Nunquam vidi, neque audiui publicè, aut secretò, aut in confessione, à me, vel ab aliis excepta, malum aliquod commune vitatum esse per Comœdias.* Ergo hæc sententia de permissione comœdiarum, ad aliquod tempus, est in praxi difficilis.

Quòd verò Principes, & Magistratus, nec approbare possint absolutè, nec permittere debeant huius-
537 modi comœdias, probat Baldellus, & ego particularibus conclusionibus, infra confirmabo *conclus. 9. n.799.*

P. Albertus de Albertis Soc. IESV Tridenti

Tridentinus. Hic Author obseruantia mihi, & beneuolentia coniunctissimus in suo eruditissimo libro inscripto *Paradoxa moralia de ornatu mulierum*, ita in ordine ad Principes de 538
hoc argumento loquitur *disp.2.cap.1. §.4. segmen.1. n.50. Princeps obscœna spectacula tolerans, mortaliter delinquit, &c.* & probat ex D. Cypriano *suprà relato n.92.* illis verbis: *Lænocinante ad vitia publicæ authoritatis malo*; *quæ verba trutinans Ludouicus Cellotius* Orat.12. *Sic egregiè edisserit. Hoc publicæ authoritatis lænocinium, vt vocat Cyprianus, lænones, ait, esse Magistratus, qui id permittant, aut* 539
imperent, &c. *O leges Iuliæ, ô Magistratuum sanctitas? quibus Matronarum pudor, & Virginum verecundia Reipublicæ voce commissa est? O histrionum infamia? quæ populi Principes cum afflauit, derepente mutat in lænones?* Deinde subdit sancti Caroli decretum ex primo Mediolanensi Prouinciali Concilio, à me *n.199.* suprà relato, quo Principes admo- 540
nentur, vt histriones longè ab Vrbe

K remo

540 remoueant; & affert *ex cap.25.4. Num.*
graue supplicium, quo Deus damnauit Principes, quia non impediuerunt scelera Populi Israëlitici fornicantis, & idololatrantis cum peregrinis mulieribus. *Quam*, inquit, *irrogatam pœnam examinans B. Petrus Damiani* lib.4. epist.15. *meritò admirabundus interrogat, quid est, quòd populus in*
541 *luxuriæ voraginem labitur, & in eorum Præpositos vindicatur? subditi delinquunt, & Principes in patibulis suspenduntur? mox verò sapienter ita respondet; scilicet, alius est, qui peccat, alius ille, qui vapulat; cur hoc, nisi quia culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium, &, quod ab ouibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur? Vide, quàm formidolosa sit con-*
542 *ditio Præsidentium, vt non modo pro suis, sed etiam pro subditorum puniantur offensis*, &c. *in quam quoque sententiam multò ante scribens Origenes* Hom.20. in Num. *Populus*, inquit, *peccat, & Principes puniuntur, & coguntur pro Populo rationem reddere, eò quia fortè non docuerunt non monuerunt,*

nuerunt, non sollicitè arguerunt. Vide suprà, n. 33. *&c.* Pergit deinde Author, doctrinâ scandali à se *disp.* 1. *cap.* 5. enucleatâ, Principes perstringere in conscientia, & ostendere, quàm pec- 543
cent, dum obscæna spectacula, cum possint, non interdicunt.

Thomas Tamburinus in Decalog. lib. 5. cap. 1. §. 4. n. 28. *Non licet regulariter histrionibus repræsentare valde turpia, ex quibus moraliter scitur, multos peccaturos; dixi regulariter: si enim tanta esset histrionis necessitas, vt eo lucro indigeret ad victum, vel quid simile, non recusarem, semel, aut iterum* 544
licere (sed sine periculo morali suæ delectationis, quod cauere maximè in histrione turpium, proh quam difficile est) donec alia viuendi ratio diligenter conquirenti non aperitur.

Et num. 32. *Qui profitetur artem histrionicam turpia repræsentantem, semper est damnandus, nisi fortè illum rarissimum casum dictum* num. 28. *excipias, quia proximè huiusmo-* 545

di ars adnectitur ad turpia.

Et lib.7.cap.8.§.5.num...*Obligationem Gubernatorum ad repellendos turpia repræsentantes, maximam esse, colligitur ex dictis: cum enim ipsi facilè tot lapsus cauere possint, ex charitate, imò ex officio debent; audi Bossium* tom.2. moral.tit.20.num.35. *si negle-*
546 *xerint,* inquit, *Principes prouidere, ne impura repræsententur, sciant, se grauiter à Deo puniendos, utpote, quia permiserint, & authoritate sua consenserint, infamem, & publicam omnium scelerum scholam haberi;* & paulò post: *Remedium tutius est, vt Principes histriones non recipiant, sed à Regnis expellant.*

Hermannus Busembaus Soc. Iesv in Medulla Theol.moral.lib.3.tract.4.
547 cap.2. dub.1. num.8. *Verba turpia, lectio obscanorum, spectatio comœdiarum turpium, cantiones inhonesta, gestus, littera, & dona amatoria, si tantum fiant ex curiositate, vel vano solatio; non sunt mortalia: secus tamen si fiant, vel animo inhonesto, siue venereo, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum,* &c.

Ex Religione Clericorum Regularium, qui Clerici Minores vocantur. 548

Thomas Hurtadus *tom.2. variar. tract.8. c.7. digreſſ.3. n.743.* refert, & reprehēdit authoritatē *Syluestri verb. Ars n.6.* cuius verba ego ſupra adduxi *n.226.* & deinde ſubdit: *Nec obſtat, quòd addat, eſſe peccatum mortale ſi fiat cum verbis turpibus, aut actibus* 549
repræſentantibus turpia; quia hoc eſt verum, loquendo de turpitudine mortali, cui morale periculum iunctum eſt ſcandali, audientibus, & videntibus.

Idem *tom.1. variar. tract.1. cap.4. reſol.8.* poſtquam *n.67.* retuliſſet Caietanum, qui *2.2.quæſt.168. art.3. §. Ad euidentiam,* &c. *verſ. Numerauit autem, &c.* vt explicet quomodo hiſtrio- 550
nes, etiamſi turpiloquio vtantur, non peccent mortaliter, dicit *ad ſummum aliqui geſtus exercentur, qui ad riſum, & delectationem moueant, non per ſe*

ad peccatum luxuriæ mortale, & sic non sunt proxima occasio scandalizandi auditores: sed primario, & secundum se ad delectationem ordinantur, &c.

551 Et n.70. dicit, *quod enim histriones, ex cohabitatione cum mulieribus, sint ferè semper in occasione concubinatus, adulteriorum, & fornicationum; cum mulieres istæ ferè semper sint malæ, & inordinatæ vitæ; nihil obstat, quò minus possint absolui, si dum ad confessionem sacramentalem accedunt, habeant illa quatuor, quæ supra Nauarrus, & alij requirebant; cum enim histrionatus se-*
552 *cundum se, ars sit non mala, imò per se ciuiliter honesta, & licita, non tenetur quis eam dimittere propter occasionem peccandi, quam illa habet: cum ex incommodo notabili, quod ex ipsa dimissione, sequitur, fiat occasio inuoluntaria*, &c.

Et num.73. *Quod si quis Theatrum adeat cum periculo proximo cadendi in consensum, aut delectationem moro-*
553 *sam circa aliquam, vel aliquem ex histrionibus, tenebitur sub mortali tale periculum fugere; si sine incommodo*

nota

notabili, scandalo, aut alio consimili, vrgente necessitate, id fieri possit, &c. *& paulo post loquens de argumento huiusmodi comœdiarum*, dicit; *hæc solummodo fiunt relatiuè, & historialiter, sicut in historiis, & annalibus referuntur; non animo incitandi ad similia*
facta, quæ publicè non committunt, sicut 554
histriones antiqui; hi enim, vt constat ex antiquitate, in publico Theatro commiscebantur, & alia iniqua opera exercebant: & ideo Patres, & Concilia tam seuerè eos execrantur, & reprehendunt.

Tandem refert historiam cuiusdam facti; quòd nimirum Romæ anno 1622. sedente Gregorio XV. de
licentia eiusdem Summi Pontificis, 555
& Theologorum consentientium, quorum vnus ipse fuit, histriones Hispani suas comœdias repræsentarunt; *quòd si interesse, esset mortale, non introducerentur, sicut introductæ sunt*, &c. *ita ille d. sect. 3. n. 746.*

DISCVRSVS XI.

556 *Peccant Maritus, & Pater, qui permittunt Vxorem, filios, & filias iuuenes audire Comœdias obscænas.*

SVpradictus Author Hurtadus *dicta sect.* 3. *num.* 735. reprehendit
557 quendam Valmasedanum, quia dixerit, peccare mortaliter maritum permittentem, vxorem, filios, aut filias iuuenes, adire Theatrum, ad huiusmodi Comœdias audiendas; sed hæc reprehensio videtur esse contra iustitiam, & veritatem: nam licèt Valmasedani codicem videre, & eius rationes expendere nequiuerim, ex iis tamen quæ refert Author, censeo non omnino improbabiliter dixisse
558 peccare maritum, &c. si enim de illis comœdiis sermo sit, quæ sunt valde obscænæ, vel, vt Hurtadus *num.* 744. loquitur, in quibus grauis turpitudo repræ

repræsentatur, non potest meritò impugnari sentẽtia Valmasedani; siquidem maritus respectu vxoris & pater filiorum, & filiarum grauiter tenentur ex officio, & ex iustitia procurare, vt in Christianis moribus rectè instituantur, & peccatum mortale fugiãt; 559
à quo sine dubio non recederent, si huiusmodi comœdiis valde obscænis interessent: nam vt Sancti Patres Cyprianus *n.*92. Clemens Alex. *n.*89. & Sanctus Ioan. Chrysost. *num.*124. & antiqui scriptores Minutius Felix *num.*91. & Lactant. *num.*104. asserunt, histriones huiusmodi, dum adulteria narrant, docent, & dum fingunt, infligunt. Ergo tenentur grauiter non permittere, vt illis intersint: si autem 560
sermo sit de illis comœdiis, in quibus verba, vel facta sunt leuiter turpia, quamvis per se loquendo, ex vi talis repræsentationis, & abstrahendo à quacunque mala intentione, vel periculo grauiter peccandi, tam vxor, quàm filij non peccent, nisi venialiter; adhuc non est omnino improbabile, quòd talis maritus, etiam

in isto casu mortaliter peccet.

Nam, vt Sanch. *in decal. lib. 1. cap. 6.*
561 *num. 11.* cum multis docet, scandalum de se veniale, si causetur à persona, quæ ex officio tenetur illud vitare, euadit mortale: vt, si Religiosus verbum turpe veniale diceret in publico: & *num. 19.* si Prælatus Religionis permitteret inobseruantiam Regulæ; quæ licèt non obliget, nisi ad veniale, quia tamen ipse tenetur
562 grauiter ad conseruandum, & promouendum Religionis progressum, peccat mortaliter. Non longè abest Cardinalis de Lugo *de pœnit. disp. 16. sect. 4. num. 153. & de iust. disp. 9. n. 21.* in puncto: & Leander à Sanctissimo Sacramento *quæst. moral. p. 8. tract. 1. disp. 6. quæst. 35.* dicit, quòd parentes illi peccant mortaliter, qui turpia verba loquuntur coram filiis, & filiabus, eò quod faciunt illos inuere-
563 cundos, & faciles ad similia cogitanda, proferenda, & etiam exequenda; & ideo quòd tales parentes teneantur hanc circunstantiam in confessione explicare: nam teste Aristotele *n. 619.*

infrà

infrà referendo *lib.7. Polit. cap.17.* Qui assuescunt audire obscæna, ad eadem perpetranda faciliùs inducuntur: quæ ratio, supposita iuuenili procliuitate, probat, etiamsi verba illa parentum essent turpia venialia; & 564
quia eadem ratio, & maior est, si parentes permittant, filios, quos impedire commodè possunt, & non impediunt, & similiter si maritus vxorem, &c. Non est igitur improbabilis Valmasedani sententia, neque ideo ita liberè, & grauiter reprehendenda.

Quod addit Hurtadus *num.744.* explicans Syluestrum de turpitudine mortali; verum est, sed quia *n.743.* profitetur hic Author doctrinam se- 565
qui, quam defendunt Sanctus Thomas, & Caietanus à se ipso prius relati *tract.1. cap.5. resol.8.* libet hîc vtriusque verba expendere; & quidem Sancti Doctoris verba sunt *ex 2. 2. quæst.168. art.3. ad 3.* quæ ego suprà retuli *num.213.* ideo hîc non repeto: solùm considero, quòd vbi Sanctus Doctor dixit, officium histrionum

ſtrionum non eſſe illicitum, & eos
non eſſe in ſtatu peccati, limitauit ſe,
566 dicens, *dummodo non vtantur aliquibus illicitis verbis*; & in corpore eiuſdem articuli dixerat; *ludum histrionum eſſe illiberale, petulans, flagitioſum, & obſcænum, quando ſcilicet vtitur aliquis cauſa ludi verbis, vel factis, quæ de ſe ſunt peccata mortalia, &c.* & Caietanus ibi citato verſu; *Numerauit, &c.* dicit, explicans Sanctum Thomam: *Sunt autem turpia verba*
567 *de ſe mortalia, inuitatoria verba ad mortalem laſciuiam: nam, ſi quis, vt aliis delectationem ingerat, mulierem inuitet ad adulterium, aut fornicationem, aut quod peius, committeret; tam iocus, quàm ludus peccatum mortale eſſet: turpiloquio autem ſimpliciter vtendo, aut aliquem minus honeſtum geſtum faciendo, vt aliis delectationem ingerat, graue eſt, & fugiendum valde, non tamen mortale ex ſuo genere, &c.*
568 Hæc Caietanus, cuius verba etiam ſupra retuli in ſecunda Claſſe *numero* 216.

Ergo ex doctrina ſancti Thomæ,
&

& Caietani, Comœdiæ, in quibus turpia verba sunt ordinata ad suadendam mortalem lasciuiam, cuiusmodi sunt adulteria, fornicationes, stupra, incestus, lænocinia, & similia peccata mortalia, continent turpia verba de se mortalia. Ergo etiamsi 569
non sint coniuncta cum morali periculo scandali, seu consensus, respectu audientium, & videntium, vt videtur Hurtadus addidisse, histriones peccant mortaliter, quamvis hoc turpiloquio non vtantur malo fine, sed solùm, vt aliis delectationem ingerant. Malè ergo Hurtad. *num.* 743. vtitur doctrina S. Doctoris, & Caietani, vt probet hoc antecedens, *offi-* 570
cium histrionatus non est malum per se. Ex quo infert; ergo licitè potest exerceri: nam antecedens distinguunt S. Thomas, & Caietanus, vt constat, & negant, si turpiloquio de se mortali vtantur histriones: & ideo vtraque consequentia in eorum sententia est falsa.

Eodem modo negantur, & non subsistunt illa, quæ sub *n.* 67. conge- 571
rit,

571 rit, nisi intelligantur, procedere de turpiloquio simpliciter, vt loquitur Caietanus, quod licèt *ex suo genere peccatum mortale non sit, est tamen*, vt ait, *graue, & valde fugiendum.* Ergo vt in sententia sancti Thomæ, officium histrionatus sit licitum, debent histriones abstinere, nedum à turpiloquio de se mortali; sed etiam à turpiloquio simplici: id quod S.Thomas satis expressè declarauit, dum
572 *in sol.ad* 3. dixit: Histriones non exercere officium illicitum, *dummodo non vtantur aliquibus illicitis verbis.*

Item quod sub *n.*73. asserit Hurtadus, Sanctos Patres Cyprianum; Chrysostomum, & Concilia tam seuerè contra histriones scripsisse, quia locuti sunt de histrionibus an-
573 tiquis, qui non solum turpiloquio mortali vtebantur suadendo, & alliciendo ad mortalem lasciuiam, sed, vt ipse loquitur, *constat ex antiquitate, quod in publico Theatro commiscebantur.* Breuiter ostendo, non subsistere, & effugium esse friuolum, imò & falsum & ex antiquitate testes adduco

duco Sanctos Patres omni exceptio-
ne maiores S.Gregorium Nazianze- 574
num *num*.108. Sanctum Cyprianum
num.93.S.Cyrillum *n*.111.S.Hierony-
mum *n*.117. S. Ioan. Chrysostomum
num.127. quibus addo Lactantium
n.103.& Riberam *n*.161.& alios,qui
dicunt,non veras mulieres in scenam
prodiisse, sed Panthomimos, nempe
viros,qui se fœminas esse fingebant.
Non ergo verè commiscebantur an-
tiqui histriones, sed summam huius-
modi lasciuiam simulabant:nihil au- 575
tem,aut parum distat Theatri obscæ-
nitas, si simulatum, & falsum exhi-
beatur scelus ab eo,in quo illud idem
artificiosis, & lænocinantibus impu-
dicissimis verbis, & extrema petu-
lantia repræsentatur, & contra istam
præcipuè summam obscænitatem
Sancti Patres, & Concilia meritò
vociferantur,& reclamant. Vide La- 576
ctant.*num*.104.D.August.*num*.136.&
Chrysostomum *n*.124.

Quod verò in sui, & suarum co-
mœdiarum excusationem, & patro-
cinium adiungit Hurtadus, nimirum
impudi

impudicitias illas relatiuè tantùm, & historialiter repræsentari, vt in Annalibus, non verò ea intentione, vt incitentur Auditores ad illas exequendas, nihil obstat, nam etiam ob-
577 scænæ imagines, & picturæ, nec non libri de rebus obscœnis scripti, sæpè non incitant directè ad malum faciendum, quod repræsentant factum; & tamen in omnium sententia sunt prohibiti, & à Sacra Congregatione proscripti, si hæc ex professo contineant. Vide Pasqualigum *in secunda Classe relatum n.255.* Multò magis quando narrationi coniuncta est hi-
578 strionum viua vox, gestus incompositi, & totum artificium diaboli, cuius negotium tractant, sub prætextu ingerendi delectationem, non de rebus ipsis, sed de modo; quam distinctionem ex professo reprobabimus *infrà, conclus.6. n.748.* Et hîc videndi sunt D. Cyprian. *n.*102. & D. Ioan. Chrysost. *n.*127.128. *&* 129.

Et tandem historia illa de rebus, quæ suo tempore Romæ accide-
579 runt, nihil probat: nam neque ipse

ipse vnus ex Consultoribus, vt dicit, consuluisset comœdias simplicem turpitudinem continentes: cum ipse cum Caietano huiusmodi turpitudinem fateatur, esse peccatum, non quidem mortale, sed veniale graue, & valde fugiendum; neque alij consultores cum ipso, neque multò minus Sanctissimus ille Pontifex 580.
Gregorius comœdias huiusmodi approbassent; nec verisimile est, discussionem coram Summo Pontifice à Theologis fuisse factam, sed solùm, an liceret comœdias ab Hispanis Hispano sermone Romæ repræsentari, & seruatis Christianæ modestiæ regulis, licere, fuit conclusum.

DISCVRSVS XII.

581 *Probatur contra Hurtadum, Histriones non posse defendi, quin sint in occasione proxima peccati.*

582 ILlud non caret difficultate, quod *tract.* 1. *sub n.* 70. affert Hurt. nempe, Histriones licèt in hac professione semper habeant occasionem peccandi, non tamen teneri eam dimittere, cum graui damno, & incommodo temporali, quod ipsis ex hac dimissione resultaret: quia inquit, non est illis talis occasio voluntaria, sed sola indemnitas ab huiusmodi damno, est id, quod directè intendunt, & volunt histriones.

583 Video in hac materia adesse sententiam multorum, qui dicunt, damnum notabile temporale famæ, honoris, & rei familiaris, esse sufficiens fundamentum ad faciendam talem occasio

occasionem inuoluntariam: sed adest etiam sententia de directo contraria. Verùm, quia existimo, non satis esse huiusmodi sententias, vt Hurtadus suam in præsenti tueatur assertionem, placet hîc, vtramque sententiam referre.

Est igitur prima sententia Adami 584
Tanneri *disp.6.de pœnit.quæst.9.dub.5. assert. n.*112. qui cum Caietano, Lopez, & Conrado, existimat illum, qui sui iuris est, & sine alterius iniuria potest occasionem proximam remouere, teneri illam dimittere, etiamsi extremam paupertatem, & calamitatem sustinere cogatur. Fundamentum est, quia salus animæ præferenda est commoditatibus diuitiarum, famæ, & etiam vitæ corporalis, vt *Matth.* 585
*c.*16.26. dicitur: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* & ratio huius sententiæ, quam affert Lopez 1.*part. instructor. cap.*22. est, quia bonum animæ, & conscientiæ, altius, & maioris momenti

586 menti eſt, quàm bona diuitiarum, honoris, & vitæ. Ergo iniqua compenſatio.

Secunda eſt Pauli Layman *lib.* 1. *tract.* 6. *c.* 4. *n.* 9. P. Honorati Fabri *in Apologet. Dialogi, cui nomen Anonymus contra Anonymum, cap.* 3. Lugo *de pœnit. diſp.* 14 *ſect.* 10. Hurtadi *tr.* 1. *cap.* 3. *reſol.* 4. *num.* 43. Sanchez *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *cap.* 8. Dianæ *part.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 5. & *tract.* 4. *reſol.* 165. *& plurimorum,* quos citat P. Fabri *ib.*

587 Fundamentum principale huius ſententiæ eſt, quia occaſio quantumvis proxima peccandi, in ſe non eſt peccatum, neque neceſſitatem affert peccandi; ergo compoſſibilis eſt, cum deteſtatione peccati illius, & cũ propoſito non peccandi: ergo homo in tali occaſione conſtitutus, eſt capax abſolutionis: & patet, quia licèt, vt plurimùm coniungatur talis occaſio cum peccato; id prouenit, non quia

588 ipſa ſit peccati cauſa; ſed quia magna eſt hominis imbecillitas, propter quam homo facilè diſcedit à propoſito non peccandi, & peccat.

Vt

Vt autem perseuerantiam in occasione proxima ostendant, non esse voluntariam, sed præter voluntatem, & vt dicunt, inuoluntariam, existimant, non ex quolibet leui, sed ex 589
magno, & notabili bonorum temporalium detrimento, licere perseuerare in periculo, seu in occasione proxima peccandi, quare si leuis esset iactura bonorum, iam occasio non posset dici inuoluntaria, sed directè intenta, & voluntaria: non enim prudens voluntas ex quocunque leui motiuo, sed ex graui, & vrgente necessitate, vt loquitur Hurtadus *dicto n.*43. moueri debet, dum vult perma- 590
nere in tali statu periculoso.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondent, & inter alios Layman *loc. cit.* quòd licèt, præceptum sit, vitandi occasionem proximam peccati, vt constat ex illis verbis Ecclesiast. cap. 3. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo*; & Matth. cap. 18. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te, &c.* limitant tamen horum verborum intelligentiam, & 591
dicunt,

dicunt,non esse præceptum, sed consilium, quando adest notabile damnum in bonis temporalibus.

Ex hac doctrina Hurtadus dicit, Histriones non teneri dimittere hanc professionem,licèt,vt *n*.70. loquitur, ex cohabitatione cum mulieribus, sint ferè semper in occasione concubinatus, adulteriorum, & fornicationum.

592 Non intendo hîc examinare principalem Hurtadi sententiam, quæ est, vt histrionatus eo modo, quo hodie exercetur, non sit peccatum mortale:in hoc enim sensu infrà contrariam conclusionem veriorem, & communiorem esse probabo *n*.835. sed hîc solùm contendo, an sit verum, quòd histriones, ex eo quod in scena vtuntur malis fœminis, pos-
593 sint cum ipsis tuta conscientia cohabitare.

Igitur existimo etiam admissa secunda sententia Layman,& aliorum, Hurtadum hîc non bene in rem suam vti tali sententia. Primò, quia Alexander V I I. Fœl. Recor. inter

pro

propoſitiones quas Anno 1666. damnauit, & vt minimum vocat ſcandaloſas, ſtrictéque præcipit, ne Christi Fideles illas, aut illarum aliquam ad praxim deducant *ſub num. illarum* 41. hæc eſt: *Nam eſt obligandus concu-* 594
binarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinarij, vulgo, regalo, *dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tadio magno concubinarium afficerent, & alia famula, nimis difficilè inueniretur.* Ergo huius ſecundæ ſententiæ doctrina, non poteſt practicari ad fauorem hiſtrio- 595
num ſuppoſita hypotheſi, quam ſupponit Hurtadus. Quòd nimirum, mulieres huiuſmodi ſint concubinæ, adulteræ, fornicariæ, & conſtituant hiſtriones in ſtatu concubinatus.

Dicet aliquis pro Hurt. caſum ſupradictæ propoſitionis eſſe de concubina, quæ eſt famula concubinarij, & illi famulatur, cibos deliciosè condiens, vulgò, *con regalo*, & patet ex illis verbis, *& alia famula, &c.* At 596
mulieres hiſtrionum ſunt, & ipſæ

hiſtrio

histrionissæ, & faciunt talem professionem histrionibus notabiliter lucrosam: quare, si illas dimitterent, damnum notabile paterentur; & ideo contra mulieres histrionissas, & histriones non videtur posse adduci propositio damnata ab Alexan-
597 dro VII. sed bene pro ipsis erit secunda sententia.

Sed contra; primò, quia propositio illa comprehendit illum concubinarium, qui ex dimissione talis concubinæ, nimis *agrè vitam ageret, & tædio magno afficeretur*; vitam autem ægrè agere, & tædio magno affici, iudicio Medicorum, est morbus grauis, & humanæ vitæ valde pernicio-
598 sus, vt constat ex pluribus historiis, quæ ostendunt, mœrorem etiam ortum ex leuissimis causis, homines fortissimos occidisse. Quare Herodotus in vita Homeri, hunc omnis Philosophiæ Patrem, & Poëtarum Principem, quod enigma à piscatoribus quibusdam sibi propositum, soluere nequiuisset, præ dolore statim ægrotasse, & paulò post mœrore confectum,

fectum, obiisse, testatur. Cum ergo animi mœror sit graue damnum, de 599 hoc, propositio debet intelligi, & ratio est, quia si agatur de vitando leui damno, omnes fatentur, dimittendam esse occasionem proximam; quod nimirum non obstante graui, & notabili damno temporali, eiicienda sit concubina, quod videtur satis expressum ibi: *Nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno, concubinarium afficerent:* quicquid sit de illa secunda sententia, in aliis materiis distinctis à concubinatu & à rebus venereis; vide supra Arriagam in simili *n.*304. Ergo propositio dam- 600 nata comprehendit etiam huiusmodi histriones, & prohibet pro ipsis practicari illam secundam sententiam, & ideo tenentur huiusmodi malas fœminas dimittere.

Secundò supponamus, & verissimum esse credo, quòd si histriones huius temporis, more antiquo adducerent in scenam non veras fœminas, sed Panthomimos, etiamsi ars 601 non esset forsitan ex hac causa adeo

lucrosa, sed histriones aliquid minus lucrarentur, non tamen notabile damnum subirent, neque Theatrum ob id desolaretur: sicuti antiquitus non desolabatur, sed magno concursu Populus ad eum conflueret, licèt veræ fœminæ in scena non agerent; ergo etiam abstrahendo à supradicta
602 propositione damnata, non potest Hurtadus histriones eximere ab obligatione dimittendi huiusmodi fœminas, & recedendi ab occasione proxima recurrendo ad secundam sententiam. Simile argumentum vrgeri potest contra histriones, qui comœdias turpitudine notabili plenas agunt: si enim abstinerent ab omni turpitudine, & fabulas ridiculas, iocis, & salibus bene conditas,
603 modestas tamen ciuiles, & ad licitum oblectamentum compositas repræsentarent, esto, impudentes homines, & qui solum turpitudinis vitium amant, non accederent; sed multi, & præterea graues, & honestæ personæ, in magno, & fortè maiori numero ad Theatrum venirent: atque ita non solum

ſolum graue damnum non ſentirent
hiſtriones, ſi omnem obſcænitatem
ablegarent, ſed imò eorum ars eſſet 604
honeſta valde, & etiam notabiliter
magis lucroſa.

Vidit Hurtadus, & præuidit neceſſitatem remouendi à Theatro mulieres illas flagitioſas:& ideo *num.*71. dixit his verbis:*Debet tamen confeſſor prudens ſuaſionibus, perſuaſionibus, & acrimonia reprehenſionum inducere hos homines, vt artem ſuam exerceant honeſto modo, & quod quantum fieri poteſt,occaſionem proximam fugiant*;quòd 605
ſi aliam artem, & modum viuendi habeant, in quo non ſint in occaſione proxima, quamvis ars non eſſet ita lucratiua, ego hiſtrionem, qui in occaſione proxima eſt,non abſoluerem. Quamvis non deſint, qui illum abſolvant.

Miratur hîc Author, quòd inueniantur Confeſſarij, qui abſolvant
hiſtriones, qui ex cohabitatione 606
cum impudicis illis fœminis, ſunt, & reputantur concubinarij,quia habent pro ſe ſecundam ſententiam. Sed magis miretur de ſe ipſo, qui

L 2 hanc

hanc doctrinam mordicus defendit, & tamen non absolveret tales histriones: *Ego*, inquit, *non absoluerem.* Et hîc tandem addo, histriones huiusmodi esse illos, de quibus Sacri Canones loquuntur. Vide *infrà conclus.* 12. *n.*834.

607 *Ex Religione Clericorum Regularium Sancti Pauli Decollati, seu Barnabitarum.*

D. Homobonus *de bonis*, *tom.*2. *consult. respons.*187. *fol. mihi* 45. hæc habet: *N. Iuuenis, ac Scholasticus bis interfuit comœdiæ turpia repræsentanti. Quæsitum est à me, an peccauerit mor-*
608 *taliter: etsi ab hoc spectaculo desistere nolit, si sacramentali absolutione indignus. Respondi affirmatiuè: nam regulariter, comœdiis turpia, & obscœna referentibus interesse cum delectatione rerum narratarum, vel cum periculo morosæ delectationis, vel alterius grauis peccati, lethalem culpam secum involvit: vt proinde verùm sit quod ait Tertullia*

Tertullianus in tract.de spect. ***Comœdias**, & spectacula, vt hodie fiunt, esse diaboli retia*, &c. *Secus autem esse* 609
dicendum, quando ob solam vanam curiositatem absque probabili periculo in aliquod peccatum mortale labendi, illis interfuisset (sicut etiam de choreas ducentibus Doctores determinant) vt sacra Episcoporum Congregatio Sancto Carolo rescripsit. Actus enim, vt Theologi loquuntur, à fine specificantur, qui semper in humanis actionibus est attendendus. Hæc ille. 610

Ex Religione Clericorum Regularium Matris Dei.

P. Cæsar Franciottus in lib. Cui nomen ***il Giouine Christiano, part.3. cap.15***. acriter, & doctè nostri temporis comœdias insectatur, & hæc verba habet in titulo: ***Con ragione si*** 611
proua esser peccato mortale, l'andare alle Comedie de nostri tempi.

P.Petrus Casanus apud ipsum.

Ego ipse sub hoc titulo Comœdiocrisis vsque de Anno 1637. primitus edita, comœdias turpes cōdēnabam.

612 # QVARTA CLASSIS, ET VLTIMA.

In qua Authores, tam Christiani, quàm Ethnici, qui contra obscænas Comœdias scripserunt, congeruntur.

613 Anno ab orbe condito 3286. Archilocum, qui sui temporis fuit Poëta celeberrimus, & præcellens, sed obscænus, Rodiginus *lib.6. cap.37.* monet à Lacedæmoniis eiectum fuisse in exilium ab Vrbe, eadem hora, qua venit ad eos; eò quod aliquid contra bonos mores in Poëmate scripsisset, contra virtutem fortitudinis in laudem ignauiæ, quod nimirum præstaret arma in bello perdere, quàm vitam.

614 Anno 3569. Epicharmus Siculus, qui teste Aristotele *in Poëtica, cap.1.* comœdiam inuenit, quia præsente vxore

vxore Hieronis Tyranni Syracusarum, obscænos versus recitauerat in exilium missus est. Voluit enim Rex, inquit Fulgos. lib.6. cap.2. *Vt domui suæ, non cæteræ tantùm corporis partes ab impudicitia custodirentur; sed ne aures quidem immodestam rem nullam audirent.*

Anno 3571. Aristides Philosophus 615
Gentilis, inter alia opera, scribit integram orationem de non agendis comœdiis, & in hac pluribus insectatur obscænas, his præsertim verbis. *Vbi verò tanta conspicitur, & in verbis nequitia, & in canticis impudicitia, & in gestibus turpitudo, vitiaque horum tanta, quanta nulla possit*
exprimere comœdia: quid erit, quod nos 616
delectet? vtrum hæc, vt honesta patiemini? nihil est turpius; an vtilia visu, vel auditu? corruptelæ signa sunt, &c.

Anno 3590. Plato *de legib. dial.*7. comicos, qui petunt licentiam agendi in Ciuitate comœdias, ita alloquitur: *Verùm nolite credere, facilè à nobis admitti, vt scenas in foro constituatis, & clamosos conducatis histriones, qui*

617 *altiùs, quàm nos exclament, atque ad liberos nostros, ad vxores, ad turbam Vrbis omnem, de eisdem rebus, non eadem, quæ nos, sed contraria sæpè concionemini. Insaniremus enim, & nos omnino; & Ciuitas omnis, si antequam magistratus viderint, quæ composuistis, & dicenda ad Populum, iudicauerint, admitteremini, &c.* Supponit hæc Platonis responsio, Rempublicam, & eius Gubernium nihil aliud habere
618 pro obiecto, quàm rectitudinem morum in subditis inducere, & inductam conseruare; qua posita, Respublica erit ipsa optima morum regula, & ministri eius elegantis comœdiæ Actores. Erit ergo maxima insania permittere in publicum comœdias non recognitas primò à Magistratibus.

Anno 3686. Aristoteles *Polit lib.7. cap.17.* tradens regulas pueros rectè
619 instituendi: *Omnino igitur*, inquit, *obscœnitas verborum, vt, & quicquam aliud, per legislatorem exterminanda est de Ciuitate. Ex turpiter enim loquendi licentia sequitur & turpiter facere,*

facere,&c. *Cum verò dicere quidquam interdixerimus; clarum quòd, & aspicere, aut picturas, aut actus deformes prohibemus*; &c.

Idem quærit, cur histriones, quos 602 etiam nomine Artificum Bachanalium vocat Sapientissimus Stagyrites, improbos esse moribus magna ex parte contingat, *sect. 30. Probl. cap. 9.* & resoluit, *quia minimè se se studio sapientiæ dedunt, eò scilicet quòd in artibus necessariis ad vitam, magnam ætatis suæ partem consumunt, vitamque plurimùm traducunt incontinentem, partem etiam cum inopia, quod quidem vtrumque vitia & gignit, & auget, &c.* lib. Problem. sect. 10. c. 9. 621

Anno 3893. *C. Sulpitio Petico, C. Licinio Stolone Consulibus pestilentia fuit*, &c. *& cum vis morbi nec humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur victis superstitione animis ludi quoque scenici, noua res bellicoso populo, inter alia, Cœlestis iræ placamina instituti dicuntur, &c.* Hister *tusco verbo* 622 *Ludio vocabatur*, &c. *inter aliarum parua principia rerum, ludorum quo-*

quę prima origo ponenda visa est, vt appareret, quàm ab sano initio, in hanc vix opulentis Regni tolerabilem insaniam venerit. Nec tamen ludorum primum initium procurandis Religionibus datum, aut Religione animos, aut cor-
623 *pora morbis leuauit; quin etiam cum medios fortè ludos circus Tyberi superfuso, irrigatus impedisset, id verò velut auersis iam Diis, aspernantibúsque placamina irę terrorem ingentem fecit. Itaque Cn. Genucio, L. Æmilio, Mamerco secundo Conss. cum piaculorum magis conquisitio animos, quàm corpora morbi afficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur pestilentiam quondam clauo ab dictatore fixo, sedatam.*
624 *Ea religione adductus Senatus, dictatorem claui figendi causa dici iussit*, &c. Itaque Liuius *dec.1. lib.7.* Itaque Diuina prouidentia permisit quidem, vt populus remedium morbo inueniret in superstitione fixi claui, sed non in spectaculo Theatrali à diabolo dumtaxat ad nocumentum hominis excogitato.
625 Sed Cicero *lib.1. Tuscul.* initio affirmat,

mat, Histriones, Comicos, vel etiam Tragicos omnes Poëtas vocans anno 410 ab vrbe Condita Romam ingressos C. Claudio Cæci filio, & M. Tuditano Consſ.

Anno 3717. Valer. Max. *lib. 6. cap. 3. num. 12.* notat, quòd P. Sempronius Sophus coniugem repudij nota affecit, quia se inscio, Theatri ludos spectauerat.

Anno 3794. Florebant hoc anno 626 Massilienses in tanta omnium æstimatione, vt Tito Liuio teste in publico Senatu eorum *mores, leges, ingenium sincerum, integrúmque à contagione accolarum præseruatum, commendati sunt; perinde ac si medium vmbilicum Græciæ incolerent;* de Massiliensium Ciuitate Rodiginus *lib. 9. c. 8.* scribit: *Seueritatis eatenus acrem fuisse custodem, vt Mimis nullum prorsus aditum in scenam daret; quorum* 627 *argumentum plurimum actum continent stuprorum*, &c. Idem testatur Valer. Max. *lib. 2. c. 6.* dicens, *Mimorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus*, &c.

Anno

Anno 3951. Scipio Nasica, ait
Paulus Orosius lib.4.cap.21. *Grauis-*
sima oratione obstitit Censoribus, qui
Theatrum lapideum in vrbe construi
618 *censuerunt, dicens inimicissimum hoc*
fore bellatori populo ad nutriendam
desidiam, lasciuiaque commentum, &c.
Imò L. Florus Author Liuianæ Epi-
tomes *lib.*48.dicit, quòd cum *locatum*
à Censoribus Theatrum extrueretur,
ex Senatus C. destructum est: Popu-
lúsque aliquandiu stans ludos spectauit.
Anno 3992. Cicero in Orat. pro
P. Quintio, Quintum Roscium lau-
619 dat, vt D. Augustinus *lib.8.de consens.*
*Euangelist. cap.*33. testatur his verbis:
Quia erat in arte histrionatus ita pe-
ritus, vt solus esset dignus, qui in sce-
nam deberet intrare, ita vir bonus, vt
solus esset dignus, qui eò non deberet
accedere, quid aliud apertissimè osten-
dens, nisi illam scenam esse tam turpem,
vt tantò minus ibi homo esse debeat,
630 *quantò fuerit magis vir bonus, &c.*
verba Cicer. in Orat. pro P. Quintio,
quibus laudat Q. Roscium, sunt hæc:
Q. Roscius cum artifex huiusmodi sit,
vt

vt solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur: tum vir eiusmodi est, vt solus dignus videatur, qui eo non accedat,&c.

Anno 4009. Laberius Eques Romanus senex annum agebat suprà sexagesimum, qui inuitatus à C. Iulio Cæsare, vt ipse scenam ingressus, Mimos ageret, quos scriptitabat, ægrè ferens recusare non potuit imperium: nam potentia, non solum si inuitet, sed etiamsi roget, imperat: ideò initio sui Poëmatis, & necessitatem agendi in scena rem Romano Equite indignam, & displicentiam vitæ superstitis deplorauit his versibus. 631

Necessitas, cuius cursus auersi impetum 632
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quò me detrusit penè extremis sensibus?
Ego bis trigenis annis actis, sine nota
Eques Romanus, lare digressus meo
Domum reuertar Mimus? nimirum hoc die

Vno

633 *Vno plus vixi mihi, quam viuendum fuit*,&c.

Macrobius *lib.2. Saturn. cap.7.*

Anno 4028. Octauianus Augustus, inquit Sueton. in eius vita lib.2.c.45. *Histrionum licentiam adeo compescuit, vt Stephanionem togatarium*, id est, hominem vilem, qui toga vtebatur, *cui in puerilem habitum circuntonsam matronam ministrasse comperecerat, per trina theatra virgis cæsum relegauerit.*

634 *Aylam Panthominum quærente Prætore in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberauit*, &c.

Anno à Natiuitate Christi 20. Tiberius Imperator quamvis scenam non interdixerit, nihilominus ex Sueton. in Tiberium, lib.3. cap.34. *mercedibus scenicorum rescissis* illorum

635 licentiam refrænasse videtur, quatenus Capitolino scribente in M. Antonino iussit, vt quinos tantùm aureos dono possent accipere.

Anno 57. Nero Imperator licèt impius, impurus, & in omni genere scelerum ita singularis, vt S. Ioannes Chrysostomus serio affirmauerit Antichristi

christi fuisse typum; adeo Theatrales ludos execrauit, vt Suetonio Authore lib.5. cap.16. in Neron. *Panthomimorum factiones relegauerit*, &c. 636

Anno 65. Lucius Annæus Seneca epist.7. ad Lucilium: *Nihil est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior*, &c.

Anno 85. Domitianus Imperator 637
ex Sueton. in Domitianum in lib.8. cap.7. *Interdixit histrionibus scenam; intra domum quidem exercendi artem iure concesso*, &c.

Anno 100. de Traiano Imperatore in Panegyrico scribit C. Plinius, quòd ita Populi Romani animos sibi beneuolentia coniunxerat, vt histriones, quos Tiberius Italia pepulit, Nero relegauit, & Domitianus 638
interdixit, Traiano imperante sponte ab Vrbe vulgus expelleret: dicit enim Plinius, *idem ergo populus ille aliquando scenici Imperatoris spectator, & applausor, nunc in Panthomimis quoque*

quæ auerſatur, & damnat effœminatas
artes,& indecora ſæculo ſtudia,&c.
Anno 233. Vlpianus Iuriſconſul-
639 tus *in l.Quod ait*, §. *ait Prætor. de iis,*
qui not. inf. ſtatuit,quòd *is,qui in ſce-*
nam prodierit,infamis eſt, &c.*eos enim*
qui quæſtus cauſa in certamina deſcen-
dunt, & omnes propter præmium in
ſcenam prodeuntes, famoſos eſſe, Pega-
ſus, & Nerua reſponderunt. Ricciull.
de perſonis, quæ *in ſtat. reprob. lib.5.*
*cap.*11. tenet verè hiſtrionem eſſe
illum, qui etiam ſine quæſtu in ſce-
nam deſcendit,ex Innocent.*cap.Cum*
640 *decorem, de vit. & honeſt.* ergo ſi ſce-
nam agunt, & lucrantur, ſunt veri
hiſtriones infames.
Anno 315. Conſtantinus Impera-
tor,qui iam virtute Crucis victor, in
Chriſtianæ religionis cultu quantùm
proficiebat, tantùm gentilitiæ ſuper-
ſtitionis abhorrebat officia, ludos
ſæculares,noluit hoc anno celebrari,
licèt à Gentilibus auidè expectati,
æqua annorum periodo Vrbi debe-
641 rentur: vt notauit Baronius *hon anno*
*num.*14.At verò inter ludos ſæculares
etiam

etiam ſcenicos, & Theatrales eſſe aſſerit indubiè Ioan. Roſinus *antiq. Roman.lib.5.cap.21.*

Anno 361. Iulianus Imperator, & Apoſtata in fragmento nuper edito, cuius verba refert P. Theophilus Raynaudus *tom.4. lib.6. ſect.2. cap.10. fol. mihi* 831. dicebat: *Ad obſcœna ſpectacula Theatrorum, nullus omnino Sacerdos accedat, neque in ædes ſuas introducat, non enim decet,*&c. 642

Anno 371. Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus, vt eſt *in codice Theodoſij, lib.15.tit.7.* & refert etiam Baronius, Theatrales ludos adeo Chriſtianæ profeſſioni repugnare crediderunt, vt de quibuſdam ſeruis, qui ad lætitiam publicam Theatricis ſpectaculis erant mancipati, & ſcenici, & ſcenicæ vocabantur, decreuerint his verbis: *Scenici, & ſcenicæ, qui in vltimo vitæ, neceſſitate cogente interitus imminentis, ad Dei ſummi ſacramenta properarunt, ſi fortaſſis euaſerint: nulla poſthac in Theatralis ſpectaculi conuentione reuocentur. Ante omnia tamen diligenti obſeruari,* 643

644 *seruari, ac tueri sanctione iubemus, vt verè,& in extremo periculo constituti, id pro salute poscentes (si tamen Antistites probant) beneficij consequantur. Quod vt fideliter fiat, statim eorum ad Iudices, si in præsenti sunt, vel curatores Vrbium singularium, desiderium præferatur. Quod vt inspectoribus missis sedula exploratione quæratur, an indulgeri his necessitas poscat, extrema*
645 *suffragia, Dat. Tertio Id. Febr. Triu. Gratiano A. I I. & Probo Conss.*—Baronius zelum probauit, zeli nimietatem non probauit, quia Imperatores falcem in alienam messem immiserint.

Anno 493. Rex Theodoricus apud Cassiodor. *lib.3. epist.51.* Fausto Præposito: *Spectaculum expellens grauissi-*
646 *mos mores, inuitans leuissimas contentiones, euacuatio honestatis, fons irriguus iurgiorum, quod vetustas quidem habuit sacrum, sed contentiosa posteritas fecit esse lubricum,* &c.

Anno 541. Imperator Iustinianus *collat.8. Authent. Vt cum de appellat. §. Aliud quoque*; inter causas, propter quas Pater potest exhæredare filium, decernit

decernit esse; *si præter voluntatem pa-* 647
rentum inter arenarios, vel mimos se se filius sociauerit, &c.

Anno 1320. Bartholomæus Cassan. *p.* 11. *catalogi glor. Mun. consider.* 42. *vers. Se nunquid.* Agens de ludis scenicis dicit: *Non est dubium, quòd ludi, qui fiunt causa mercedis, ita quod fiant ludibria personarum, tales ludi sunt reprobati, & non solum sunt vituperan-*
di: imò etiam infamia notati, vt dicit 648
Textus in l. Athletæ, ff. de his, qui notan. infam.

Anno 1539 Sacerdos, de quo suppresso nomine P. Nicolaus Orlandinus in historia Societatis IESV narrat, scenica leuitate tota Vrbe notissimus scribebat ingeniosas comœdias, multitudini mox edendas, non ad eius carpenda vitia, moresque
notandos, sed ad captandos risus, au- 649
résque pascendas; & sacerdotalis dignitatis oblitus, semet in Theatrum sæpè dabat, mimum agens, exhausto pudore; tantò nequior actor, quantò Poëta præstantior. Sed inter exercendum, oborta de Cœlo luce, pudor rediit,

rediit, & ſemetipſum erubuit; odió-
que ſui rationem excogitauit, quem-
admodum, & in ſe Superiores caſti-
garet inſanias, & offenſæ multitudi-
650 ni ſatisfaceret. Statuit igitur iniecto
fune ceruicibus in frequentiſſimum
venire templum, & inſpectante po-
pulo, ſtratus humi, delicti veniam
ſuppliciter implorare. Venit igitur
in templum ſtatuto tempore, & poſt
peractam eius diei concionem à con-
cionatore, plurimo ſpectante populo,
qui concioni interfuerat, in ſacro
ſuggeſtu ſcenicus Sacerdos apparuit;
651 iámque alia in ſcena alium geſtum
agebat, ſuſpenſa de collo reſte, ore
exangui, deiectis in terram lumini-
bus, totoque vultu ad modeſtiam,
humilitatémque compoſito, excuſſit
illico lacrymas, qui riſus, & cachin-
nos ſolebat. Valuitque noua illa per-
ſona non minus ad ſanciendos Chri-
ſtianos mores, quàm paulo ante mi-
652 mica illa ad deprauandos, multóque
plus, vniuerſam concionem veri pœ-
nitentis aſpectus, quàm prioris con-
cionatoris permouit oratio. Is poſtea
ad

ad Cappucinos transiit, vbi reliquam vitam in summa religione traduxit, multò vtique lætior horrido illo, contemptóque sacco, morte appropinquante, quàm si in molli, & vano perseueraslet ornatu. Sic Sacerdos 653
mimicus à Theatri ludo, ad pœnitentiæ luctum, à turpitudine scenæ ad sanctitatis decorem fœlici transitu vitam in melius commutauit.

Anno 1586. Iacobus Menochius. *de arbitr. Iudic. lib. 2. cas. 69.* postquam multis probauit, scenicos, qui turpibus verbis spectacula, vel in istis turpia exhibent, & à lege diuina, & hu- 654
mana, tam Canonica, quàm Ciuili pluribus pœnis esse reos, quarum decima est, vt à Ciuitate expellantur, inquirit *num.* 31. an à Principe laico, an verò ab Ecclesiastico, id est, Episcopo, expelli debeant? & *n.* 32. primùm à laico; deinde ab Ecclesiastico; & etiam ab vtroque, quia causa hæc est mixti fori, concludit esse expellendos: & quando dubita- 655
tur, an comœdia sit honesta, *num.* 42. resoluit, hoc iudicium spectare ad Episcopum.

Anno 1590. Iulius Cæsar Scaliger *lib.3. Poëtices, cap.96.* vt differentiam assignet ex parte argumenti inter comœdiam, & tragœdiam, dicit: *Res tragicæ grandes, atroces, iussa Regum, cædes,* &c. *in comœdia lusus, commessationes, nuptiæ, repotia, seruorum astus, ebrietates, senes decepti, &c.* &
656 post aliqua folia. *In noua Comœdia nuptiæ, & amores maxima ex parte, riualitates multæ, virgines emptæ à lenonibus, quæ sint liberæ, quæque liberæ inueniantur, aut annulo, aut crepundiis, aut nutricibus, à Patre, à Matre, ab amatore, à fratre, semper cum lenonum infortunio,*&c.

657 Anno 1622. Benedictus Fernandius *in Gen. tom.3. ad cap.34. sect.2. num.9.* de spectaculis Theatri hæc habet: *Hæc planè sunt maria naufragiis animarum infestissima, nec vnquam alibi, quàm in Circis, in ludis, in Theatris, in spectaculis, in pompis, in cœtibus, in conuentibus, mortalium vtriusque sexus, vehementius accenditur libido spectantium, & colloquen-*
658 *tium: atque animi titillantium illecebrarum*

brarum telis acerbius vulnerati Christianæ modestiæ, ac temperantiæ miserandam faciunt iacturam.

Anno 1643. Antonius Ricciullus *de personis in statu reprobo versan. lib.6. cap.2.* inquirit quis primus laruis fuerit vsus? & respondet, diabolicam esse fraudem *ex c. Nullus Pres-* 659
byterorum, de consec. dist.5. ibi *laruas dæmonum*; quod serpentis cœpit imaginem *Genes. cap.3.* sed nota, quia *laruas dæmonum* interpretantur aliqui laruas, qui dæmones repræsentant, vt idem Ricciullus postea admonet. Sed tu vide *in 1. Class.n.9.*

Ad Conclusiones, seu Crisim Breuis Prælectio. 660

Postquam igitur, qua maiore potui breuitate, ne prolixitas tædium pareret, illa congessi, quæ omnium voce, & omnibus sæculis reclamantibus suadere possunt, & ostendere, quàm malè semper audierint inho- 661
nestæ Comœdiæ, & quanto studio debeant ab illis, ad quos spectat longè ab

633 *Vno plus vixi mihi, quam viuendum fuit*, &c.

Macrobius *lib.2. Saturn. cap.7.*

Anno 4028. Octauianus Augustus, inquit Sueton. in eius vita lib.2.c.45. *Histrionum licentiam adeo compescuit, vt Stephanionem togatarium*, id est, hominem vilem, qui toga vtebatur, *cui in puerilem habitum circuntonsam matronam ministrasse compererat, per trina theatra virgis casum relegauerit.*

634 *Aylam Panthomimum quærente Prætore in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberauit*, &c.

Anno à Natiuitate Christi 20. Tiberius Imperator quamvis scenam non interdixerit, nihilominus ex Sueton. in Tiberium, lib.3. cap.34. *mercedibus scenicorum rescissis* illorum
635 licentiam refrænasse videtur, quatenus Capitolino scribente in M. Antonino iussit, vt quinos tantùm aureos dono possent accipere.

Anno 57. Nero Imperator licèt impius, impurus, & in omni genere scelerum ita singularis, vt S Ioannes Chrysostomus serio affirmauerit Antichristi

christi fuisse typum; adeo Theatrales ludos execrauit, vt Suetonio Authore lib.5. cap.16. in Neron. *Panthomimorum factiones relegauerit*,&c. 636

Anno 65. Lucius Annæus Seneca epist.7. ad Lucilium: *Nihil est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior*,&c.

Anno 85. Domitianus Imperator 637
ex Sueton. in Domitianum in lib.8. cap.7. *Interdixit histrionibus scenam; intra domum quidem exercendi artem iure concesso*, &c.

Anno 100. de Traiano Imperatore in Panegyrico scribit C. Plinius, quòd ita Populi Romani animos sibi beneuolentia coniunxerat, vt histriones, quos Tiberius Italia pepulit, Nero relegauit, & Domitianus 638
interdixit, Traiano imperante sponte ab Vrbe vulgus expelleret: dicit enim Plinius, *idem ergo populus ille aliquando scenici Imperatoris spectator, & applausor, nunc in Panthomimis quoque*

quæ auerſatur, & damnat effœminatas artes, & indecora ſæculo ſtudia, &c.

Anno 233. Vlpianus Iuriſconſul-
639 tus *in l. Quod ait*, §. *ait Prætor. de iis, qui not. inf.* ſtatuit, quòd *is, qui in ſcenam prodierit, infamis eſt*, &c. *eos enim qui quæſtus cauſa in certamina deſcendunt, & omnes propter præmium in ſcenam prodeuntes, famoſos eſſe, Pegaſus, & Nerua reſponderunt.* Ricciull. de perſonis, quæ *in ſtat. reprob. lib. 5. cap. 11.* tenet verè hiſtrionem eſſe illum, qui etiam ſine quæſtu in ſcenam deſcendit, ex Innocent. *cap. Cum*
640 *decorem, de vit. & honeſt.* ergo ſi ſcenam agunt, & lucrantur, ſunt veri hiſtriones infames.

Anno 313. Conſtantinus Imperator, qui iam virtute Crucis victor, in Chriſtianæ religionis cultu quantùm proficiebat, tantùm gentilitiæ ſuperſtitionis abhorrebat officia, ludos ſæculares, noluit hoc anno celebrari, licèt à Gentilibus auidè expectati, æqua annorum periodo Vrbi debe-
641 rentur: vt notauit Baronius *hon anno num.* 14. At verò inter ludos ſæculares etiam

etiam scenicos, & Theatrales esse asserit indubiè Ioan. Rosinus *antiq. Roman.lib.5.cap.21.*

Anno 361. Iulianus Imperator, & Apostata in fragmento nuper edito, cuius verba refert P. Theophilus Raynaudus *tom.4. lib.6. sect.2. cap.10. fol. mihi* 831. dicebat: *Ad obscœna* 642
spectacula Theatrorum, nullus omnino Sacerdos accedat, neque in ædes suas introducat, non enim decet,&c.

Anno 371. Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus, vt est *in codice Theodosij, lib.15.tit.7.* & refert etiam Baronius, Theatrales ludos adeo Christianæ professioni repugnare crediderunt, vt de quibusdam seruis, qui ad lætitiam publicam Theatricis spectaculis erant mancipati, & scenici, & scenicæ vocaban- 643
tur, decreuerint his verbis: *Scenici, & scenicæ, qui in vltimo vitæ, necessitate cogente interitus imminentis, ad Dei summi sacramenta properarunt, si fortassis euaserint: nulla posthac in Theatralis spectaculi conuentione reuocentur. Ante omnia tamen diligenti obseruari,*

644 *seruari, ac tueri sanctione iubemus, vt verè, & in extremo periculo constituti, id pro salute poscentes (si tamen Antistites probant) beneficij consequantur. Quod vt fideliter fiat, statim eorum ad Iudices, si in præsenti sunt, vel curatores Vrbium singularium, desiderium præferatur. Quod vt inspectoribus missis sedula exploratione quæratur, an indulgeri his necessitas poscat, extrema*
645 *suffragia, Dat. Tertio Id. Febr. Triu. Gratiano A. I I. & Probo Conss.*—Baronius zelum probauit, zeli nimietatem non probauit, quia Imperatores falcem in alienam messem immiserint.

Anno 493. Rex Theodoricus apud Cassiodor. *lib.* 3. *epist.* 51. Fausto Præposito: *Spectaculum expellens grauissi-*
646 *mos mores, inuitans leuissimas contentiones, euacuatio honestatis, fons irriguus iurgiorum, quod vetustas quidem habuit sacrum, sed contentiosa posteritas fecit esse lubricum,* &c.

Anno 541. Imperator Iustinianus *collat.* 8. *Authent. Vt cum de appellat.* §. *Aliud quoque*; inter causas, propter quas Pater potest exhæredare filium, decernit

decernit esse; *si præter voluntatem pa-* 647
rentum inter arenarios, vel mimos se se filius sociauerit, &c.

Anno 1320. Bartholomæus Cassan. *p.* 11. *catalogi glor. Mun. consider.* 42. *vers. Se nunquid.* Agens de ludis scenicis dicit: *Non est dubium, quòd ludi, qui fiunt causa mercedis, ita quod fiant ludibria personarum, tales ludi sunt reprobati, & non solum sunt vituperandi: imò etiam infamia notati, vt dicit* 648
Textus in l. Athletæ, ff. de his, qui notan. infam.

Anno 1539 Sacerdos, de quo suppresso nomine P. Nicolaus Orlandinus in historia Societatis IESV narrat, scenica leuitate tota Vrbe notissimus scribebat ingeniosas comœdias, multitudini mox edendas, non ad eius carpenda vitia, moresque
notandos, sed ad captandos risus, au- 649
résque pascendas; & sacerdotalis dignitatis oblitus, semet in Theatrum sæpè dabat, mimum agens, exhausto pudore; tantò nequior actor, quantò Poëta præstantior. Sed inter exercendum, oborta de Cœlo luce, pudor rediit,

rediit, & ſemetipſum erubuit; odióque ſui rationem excogitauit, quemadmodum, & in ſe Superiores caſtigaret inſanias, & offenſæ multitudi-
650 ni ſatisfaceret. Statuit igitur iniecto fune ceruicibus in frequentiſſimum venire templum, & inſpectante populo, ſtratus humi, delicti veniam ſuppliciter implorare. Venit igitur in templum ſtatuto tempore, & poſt peractam eius diei concionem à concionatore, plurimo ſpectante populo, qui concioni interfuerat, in ſacro ſuggeſtu ſcenicus Sacerdos apparuit;
651 iámque alia in ſcena alium geſtum agebat, ſuſpenſa de collo reſte, ore exangui, deiectis in terram luminibus, totoque vultu ad modeſtiam, humilitatémque compoſito, excuſſit illico lacrymas, qui riſus, & cachinnos ſolebat. Valuítque noua illa perſona non minus ad ſanciendos Chriſtianos mores, quàm paulo ante mi-
652 mica illa ad deprauandos, multóque plus, vniuerſam concionem veri pœnitentis aſpectus, quàm prioris concionatoris permouit oratio. Is poſtea
ad

ad Cappucinos transiit, vbi reliquam vitam in summa religione traduxit, multò vtique lætior horrido illo, contemptóque sacco, morte appropinquante, quàm si in molli, & vano perseuerasset ornatu. Sic Sacerdos 653
mimicus à Theatri ludo, ad pœnitentiæ luctum, à turpitudine scenæ ad sanctitatis decorem fœlici transitu vitam in melius commutauit.

Anno 1586. Iacobus Menochius *de arbitr. Iudic. lib. 2. cas. 69.* postquam multis probauit, scenicos, qui turpibus verbis spectacula, vel in istis turpia exhibent, & à lege diuina, & hu- 654
mana, tam Canonica, quàm Ciuili pluribus pœnis esse reos, quarum decima est, vt à Ciuitate expellantur, inquirit *num.* 31. an à Principe laico, an verò ab Ecclesiastico, id est, Episcopo, expelli debeant? & *n.* 32. primùm à laico, deinde ab Ecclesiastico, & etiam ab vtroque, quia causa hæc est mixti fori, concludit esse expellendos: & quando dubita- 655
tur, an comœdia sit honesta, *num.* 42. resoluit, hoc iudicium spectare ad Episcopum.

Anno 1590. Iulius Cæsar Scaliger *lib.3.Poëtices,cap.96.* vt differentiam assignet ex parte argumenti inter comœdiam, & tragœdiam,dicit: *Res tragica grandes, atroces, iussa Regum,cædes,* &c. *in comædia lusus,commessationes, nuptiæ, repotia, seruorum astus, ebrietates, senes decepti, &c.* &
656 post aliqua folia. *In noua Comœdia nuptiæ, & amores maxima ex parte, riualitates multæ, virgines emptæ à lenonibus, quæ sint liberæ, quæque liberæ inueniantur, aut annulo, aut crepundiis,aut nutricibus, à Patre, à Matre, ab amatore, à fratre, semper cum lenonum infortunio,*&c.

657 Anno 1622. Benedictus Fernandius *in Gen. tom.3. ad cap.34. sect.2. num.9.* de spectaculis Theatri hæc habet: *Hæc planè sunt maria naufragiis animarum infestissima, nec vnquam alibi; quàm in Circis, in ludis, in Theatris, in spectaculis,in pompis,in cœtibus, in conuentibus, mortalium vtriusque sexus, vehementius accenditur libido spectantium, & colloquen-*
658 *tium: atque animi titillantium illecebrarum*

brarum telis acerbius vulnerati Christianæ modestiæ, ac temperantiæ miserandam faciunt iacturam.

Anno 1643. Antonius Ricciullus *de personis in statu reprobo versan. lib.6. cap.2.* inquirit quis primus laruis fuerit vsus? & respondet, diabolicam esse fraudem *ex c. Nullus Pres-* 659
byterorum, de consec. dist.5. ibi *laruas dæmonum*; quod serpentis cœpit imaginem *Genes. cap.3.* sed nota, quia *laruas dæmonum* interpretantur aliqui laruas, qui dæmones repræsentant, vt idem Ricciullus postea admonet. Sed tu vide *in* 1. *Class.n.9.*

Ad Conclusiones, seu Crisim Breuis Prælectio. 660

Postquam igitur, qua maiore potui breuitate, ne prolixitas tædium pareret, illa congessi, quæ omnium voce, & omnibus sæculis reclamantibus suadere possunt, & ostendere, quàm malè semper audierint inho- 661
nestæ Comœdiæ, & quanto studio debeant ab illis, ad quos spectat longè ab

ab humano commercio eliminari, superest, vt Comœdio-crisim, id est, iudicium, & censuram huiusmodi comœdiarum in medium proferam, & declarem. Id quod sequentibus primis vndecim conclusionibus, nisi
662 errauerim, satisfecisse credo: quia verò fortasse non nemo conclusionibus admissis potuisset credere à Crisi se facilè subtractum, quatenus modernos histriones, valde ab antiquis differre, constanter affirmaret; ideo duodecimā & vltimam conclusionem supposui, qua nihil omnino formaliter, & quatenus histriones differre, sed eosdem omnino esse, cum illis studeo demonstrare.

663 *Prima Conclusio.*

Licet sine peccato componere comœdias, in quibus argumentum est, vel indifferens, vel honestum: & ad eius repræsentationem nulla adhibentur, vel facta, vel verba illicita, & immodesta, seu etiam alicui no-
664 ciua. Licet etiam eodem modo Actoribus

ribus illas recitare, & Auditoribus interesse: habito tamen respectu, & adhibita debita moderatione quoad circunstantiam loci, temporis, & personarum. Hæc conclusio est S. Thomæ 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. *&* 3. & omnes illam defendunt tanquam communem, & facilè probatur: nam si argumentum est, vel indifferens, vel honestum, excluduntúrque omnia, quæ sunt contra rectam rationem; ergo 665
ratione obiecti, ad quod terminat compositio, actio, & auditio, non potest refundi in huiusmodi actiones, aliqua, vel leuis malitia peccati; nec ratione modi, quo tale argumentum repræsentatur, quia excluduntur omnia facta, vel verba virtuti contraria: & habito respectu loci, quòd v. g. 666
non fiant in Ecclesia, seu loco aliàs Deo dicato, vt, si erat Monasterium, non conuertatur in habitaculum sæculare, *c. Quæ semel* 19. *quæst.* 3. & *cap. Ad hæc*, & *cap. Inter quatuor, de relig. dom.* & etiam temporis adhibita cautela, ne tota die, aut festis diebus *c. Qui die, de consecr. d.* 1. & etiam cum

reseruatione personarum : nam Cle-
667 ricis non licet, se in his exercere *cap. Clerici, il 2. de vit. & honest. Cler.* & sic ex nullo capite in prædictis peccatum assignari potest. Imò, quia comœdia imitatio quædam est actionum popularium ex Arist. *in Poët. cap. 5. & ex eodem lib.* 1. *Reth. cap.* 11. Quicquid imitatione expressum est, iucundum est, & delectat; hinc fit,
668 quòd Comœdia modo supradicto recitata, inter ludos honestos recenseri possit, & ad virtutem Eutrapeliæ pertinere, vt etiam docet S. Thomas *2. quæst.* 168. *art.* 2.

Secunda Conclusio.

669 Componentes, agentes, & spectantes Comœdias, in quibus sunt aliqua verba, vel facta illicita, peccant saltem venialiter, si dicta verba, vel facta, sint simpliciter turpia, & non ex se prouocatiua ad mortalem libidinem.

Probatur, quia verba, vel facta obcœna non sunt ex se mala, nisi ad malum

malum finem dirigantur, vt dixi su- 670
prà cum Sanchez *num.265*. Ergo si
solùm in comœdiis ex quadam liber-
tate loquendi, vel gestiendi, vsurpen-
tur, erunt quidem mala, quia contra
modestiam sunt: non tamen morta-
liter mala: ergo solum venialiter
peccabunt Compositores, Actores,
& spectatores. Dixi saltem venialiter,
quia per accidens, & ratione prauæ
dispositionis, & quia spectatores, & 709
Actores sint in spiritu, & virtute in-
firmi, facilè possunt excitari ad ali-
quod mortale peccatum: & tunc
etiam compositores, si huiusmodi
spiritualem ruinam præuideant, pec-
cabunt mortaliter: ideo bene Caieta-
nus *num.214. & 215.* & Megalinus
num.252. dicunt, dicta, vel facta mi-
nus honesta, quamvis non sint mor-
talia, grauia tamen sunt, & fugienda
valde. Hæc Conclusio ita explicata 710
defenditur à D. Marco Vidal. *suprà*
n.259. & cõmunis est omnibus Docto-
ribus, qui docẽt, simplex turpiloquiũ,
seclusa mala intentione, & prauo fine,
non excedere culpam venialem.

711 *Tertia Conclusio.*

Compositores, & Actores Comœdiarum, in quibus verbis ex se prouocatiuis, aut nutibus, vel gestibus similibus tractantur ea, quæ ad Veneream delectationem excitant Auditores, peccant mortaliter; etiamsi formaliter non intendant illos ad
712 lasciuiam prouocare: illa autem sunt colloquia de impuris amoribus inter Amasios, & Amasias mulieres, quæ vtplurimùm meretrices, aut sunt, aut fuerunt, (honestæ enim mulieres rarò videntur in scena) matrimonia clandestina, puellæ à lænonibus seductæ, & raptæ à Genitoribus; amores virorum ac mulierum nuptarum, magna, & iniusta latrocinia à filiisfamilias contrà parentes facta; docu-
713 menta ad sollicitandas fœminas, & ad illarum honestati insidiandum, & his similia.

Defendunt hanc tertiam Conclusionem omnes Sancti Patres, suprà à me in secunda Classe cumulati: Vide

Vide illos, & attentè considera. Ex Theologis, huic Conclusioni assistunt Sanctus Thomas *num.* 210. Sanctus Antoninus *num.* 217. Durandus *num.* 218. Caietanus *num.* 217. Alensis *num.* 234. *&* 235. Gabriel *num.* 175. Zecchius *num.* 179. Armill. *num.* 219. Syluest. *num.* 224. *&* 226. Conradus *num.* 230. Summa Ange- 714
lica *num.* 239. Sanchez *n.* 472. *&* 478. Comitolus *n.* 483. Reginaldus *n.* 485. Bonacina *num.* 183. Filliucius *n.* 480. Turrianus *num.* 486. Azor. *num.* 470. Trullenc. *num.* 189. Baldellus *n.* 487. Bassæus *num.* 240. Megalius *n.* 249. Vidal. *num.* 258. Homobonus *n.* 607. & omnes alij Doctores Catholici.

Probatur; quia quicunque opera 715
sua, de se inductiua ad peccatum mortale, aliquem ad illud inducit, peccat mortaliter, sed tam Compositores, quàm Actores Comœdiarum, in quibus verbis de se prouocatiuis, vel gestibus, aut nutibus similibus tractantur ea, quæ Veneream delectationem excitant, opera sua de se inductiua ad mortale peccatum,

ad illud inducunt;ergo peccant mor-
716 taliter. Quod verò id non intendant formaliter, non releuat illos, quia re ipsa id præstant,quod ex se,& natura sua prouocat ad peccatum. Vide Reginald.*n.*485. & Baldell.*n.*488.

Quarta Conclusio.

Spectatores, qui scientes, Comœdias esse turpes, & obscœnas, illis
717 nihilominus intersunt, cùm voluntate se venereè delectandi de ipsis obscænitatibus, peccant mortaliter.

Hæc propositio est certa apud omnes Doctores Catholicos, vt notauit etiam P. Vidal *num.*299.& contra hanc reclamant, non solùm Sancti Patres, suprà in secunda Classe relati, vnà cum antiquis scriptoribus; sed Theologi omnes vna voce loquuntur;& probatur euidenter: nam
718 prædicti spectatores, cum habeant pro obiecto suæ intentionis, & voluntatis illam grauem turpitudinem, & obscænitatem, siue, vt illam opere compleant, siue, vt de ea tantùm de-

delectentur, , iam volunt peccare
mortaliter,ergo peccant mortaliter.

Quinta Conclusio. 719

Interesse Comœdiis valde obscæ-
nis, vt suprà in tertia Conclusione
declaraui, ita vt delectatio sit non de
rebus ipsis repræsentatis; sed solùm
de ipsa repræsentatione, res est valde
periculosa; quia re vera, vt ex doctri-
na Sancti Thomæ, Suarez, & Arria- 720
gæ probaui Discursu Octauo, specta-
tores delectantur etiam de rebus ipsis.
Quare pro hac allegari possunt non
solùm omnes Sancti Patres, sed om-
nes ferè Theologi: & quidem Sancti
Patres, si attentè considerentur, huius
distinctionis de re turpi, & de repræ-
sentatione eiusdem, nunquam memi-
nerunt, licèt distinctè omnia peccata
descripserint, quæ in Theatro practi-
cè committuntur. Ex Theologis ali- 721
qui hanc distinctionem secuti, excu-
sarunt spectatores huiusmodi Co-
mœdiarum à peccato mortali, à ve-
niali nunquam: sed alij, hac distin-

ctione non obstante, peccati mortalis condemnarunt; vt Caietanus relatus à me *suprà, n.*208.

Et quamvis aliqui dixerint, quòd si delectatio sit de sola repræsentatione, non est peccatum mortale hu-
722 iusmodi Comœdiis interesse: Hæc tamen illorum propositio faciliùs scribitur, quàm practicatur: quomodo enim practicari potest quod sola repræsentatio præcisa, & separata à rebus obscænis, sit obiectum terminatiuum delectationis sensibilis, cum hæc delectatio per visum, & auditum naturaliter excitatur in concu-
723 piscentia, seu in appetitu sensitiuo? Non de sola repræsentatione, sed de hac, quatenus Theatralis est; quod est idem ac dicere de repræsentatione, & simul de rebus per ipsam repræsentatis; in Theatro enim, vt plurimùm repræsentantur obscæna. Certè non videtur ea facilitate, qua scribitur hæc distinctio, posse in facto practicari: ideo rectè dixit Caieta-
724 nus num. 247. *Quòd hæc exterior præsentia suapte natura communiter fit ad*

ad delectandum animum, non de sola repræsentatione, sed de repræsentatis.

Dixi, quatenus Theatralis est, quia, vt bene Caietanus *num.*208. notauit; qui ad Theatrum accedunt, *delectationis causa adsunt*, & solam illam quærunt quæ ibi percipi solet: quòd si cui nescienti tale occurrat obie- 725
ctum, nec ex Theatro possit exire, imitetur, inquit, Alipium, claudendo oculos. Vide quæ ego *discursu secundo late dixi à n.*291.

Primum, qui inter Doctores hac distinctione repræsentationis, & rei repræsentatæ vsus fuerit; inuenio fuisse Caietanum; sed ipse tanta cum 716
moderatione, & cautela eam vsurpauit, vt constat; quòd ex ea nulla detur spectatoribus licentia interessendi huiusmodi Comœdiis.

Alij, quòd Caietanus dixit, præsentiam, seu repræsentationem, mutato vocabulo, dixerunt curiositatem: nam velle esse præsentem tali repræsentationi, est quædam curiositas. Inter istos, Author Summæ 727
Armillæ dixit n.216. *Non esse pecca-*

tum mortale, interesse huiusmodi Comœdiis ex curiositate. Bassæus *n.240.* Non est peccatum mortale *interesse ob solam vanam curiositatem;* Diana *num.242. Si audiantur ob solam vanam curiositatem, puto, non esse pecca-*
728 *tum mortale.* Megalius *n.288. Censeo, non esse mortale, Comœdiis interesse, quamvis in eis turpia repræsententur, & audiantur ob solam vanam curiositatem.* Pater Vidal *n.261. Astantes, & assistentes Comœdiis notabiliter turpibus, ob solam animi recreationem, & curiositatem, non sunt condemnandi lethalis culpa.* Sanchez *n.472. Non est mortale, si audiantur ob solam va-*
729 *nam curiositatem.* Filliucius *n.481. Non est mortale illis interesse, si ob solam curiositatem audiantur, vel ob delectationem repræsentationis.* Baldellus *n.493. Si intersint ob solam curiositatem, vel propter vanam delectationem, vel ne habeantur inurbani, & notentur vitio hypochrisis, solùm pec-*
730 *cant venialiter.* Busembaus *num.547. Spectatio Comœdiarum turpium tantùm ex curiositate, vel vano solatio, non est mortalis.*

Sed mirum est, omnes huiusmodi præcitatos Authores, nunquam absolutè pronunciare, quòd interesse huiusmodi Comœdiis, in quibus valde turpia,& ad turpitudinem prouocantia repræsentantur, ex sola curiositate, non sit peccatum mortale; sed statim omnes, & singulos addidisse: dummodo non sit periculum delectandi se de ipsis rebus turpibus: recognoscat illos studiosus lector iuxta suos numeros, *suprà Discursu* 4. *vers. Secundo, num.* 340. & consideret quanta statim cum celeritate, & diligentia cautionem subiiciant, & exceptionem; & concludat, vt paulo ante dicebam, difficillimum esse, & moraliter, vt dicunt, impossibile, quòd aliquis non delectetur, etiam de repræsentatione rerum notabiliter obscœnarum; præsertim, si repræsentatio fiat ab histrionibus venalibus, qui, solùm placere student vt lucrentur, illas repræsentant; & non delectetur simul de ipsis obscœnitatibus: ideo Azor. *num.* 470. dixit, in huiusmodi spectaculis, *maximè* re-

731

732

733

rum:

rum obscænarum, rarò deesse peccatum mortale propter hominum fragilitatem. Lege *secundum discursum, à num.291.*

Ex dictis colligo, huius quintæ Conclusionis probationem; quia in moralibus præsertim in re Venerea
734 illud periculum iudicandum est proximum, *vt suprà, num.529.* dicebat Baldellus, & ego cum communi sententia dixi *Discursu 3. vers. De iis igitur,*&c.*& Discursu 7. vers. Quoad primùm,&c.*quod frequentiùs,& in pluribus contingit: at verò, quod spectatores huiusmodi turpium Comœ-
736 diarum, sub prætextu complacendi de sola curiosa repræsentatione rerum turpium, malè sibi blandientes complaceant, etiam de rebus turpibus, contingit frequenter, & in pluribus, vt constat ex dictis *Discursu 5. vers. Hæc doctrina,&c.* & mox confirmabo. Ergo periculum est peccandi mortaliter. Et ideo meritò Sancti
737 Patres, & alij antiqui Scriptores, omnes interessentes huiusmodi Comœdiis, lethalis culpæ reos indi-

stinctè

ſtinctè faciunt, nulla facta mentione diſtinctionis inter res repræſentatas, & ipſam repræſentationem.

Hoc autem loco, nolo authoritatem Sancti Ioannis Chryſoſtomi deſiderari: hic nimirum pluribus annis, antequam noſtri Scholaſtici hoc di- 738
ſtinctionis effugium ad vim argumentorum euitandam, tam in priuatis diſputationibus, quàm in libris impreſſis, adhiberent, de acceſſu ad Theatrum ex ſolo curioſitatis motiuo, contra curioſos huiuſmodi ſpectatores aurea ſua eloquentia declamauit. Vide illum *n.* 132. ita perorantem. *Audiant curioſi, &c.* 739

Dicet aliquis ſe nullam de rebus obſcænis delectationem experiri, & ideo omnibus etiam obſcæniſſimis Comœdiis integra conſcientia intereſſe poſſe.

Reſpondeo primò cum Sancto Baſilio in re ſimili; ipſe enim *in Con-* 740
ſtit. Monaſt. cap. 4. agens contra eos, qui cum mulieribus miſcent otioſa colloquia, & ab omni labe mentem ſe immunem habere gloriantur; quicquid

quid dicit, magis quadrat in rem nostram: siquidem, vt Pater Baldellus *suprà, num.489. vocem histrionissæ mulieris audire nocentius est animæ, quàm corpori, audire vocem Basilisci;*
741 dicit igitur Sanctus Basilius. *Si quispiam dicet, quòd plerumque cum mulieribus colloqui, & conuersari, nihil afferat periculi; is, vel non est particeps virtutis masculæ, & est admirabilissimum quoddam pecus, inter vtramque naturam, velut medius constitutus; vel, si particeps illius est, immersus est af-*
742 *fectionibus, vt periculum non sentiat, ad exemplum temulentorum, & phreneticorum, qui licèt grauissima patiantur, tamen extra passiones se constitutos esse putant.* Secundò: Respondet Sanctus Hieroymus à S. Anton. *in summ. part.2. tit.6. cap.6.* relatus non longè ab initio; *Quòd non credit viro, si dicat, se illæsum euasisse.* Tertiò: Respondeo cum Sancto Ioanne Chry-
743 sostomo, à me *suprà, num.134.* relato, quòd si ita est, vt dicis, non possum tibi credere, quòd homo sis, communis naturæ fragilitati obnoxius; *sed saxum,*

saxum, aut ferrum. Quartò: existimo, spectatores huiusmodi Comœdiarum, qui se ita innocentes prædicant, esse de illo hominum genere, de quo erat Balaam, magus ille: de hoc enim 744
sacræ litteræ testantur *lib. Num. c.* 22. 28. quòd licèt ex brutali Asinæ ore, suæ crudelitatis reprehensionem audiuisset, non sine notabili miraculo expressam, perinde ac si nihil monstruosum occurrisset, non stupens, sed stupidus, & stolidus in suo errore permansit: hic nimirum frequenter diabolicis excantationibus, & Dæmonum horrendis spectris intendebat, quia erat, inquit S. Augu- 745
stinus, *assuetus monstris*, monstruositatem huiusmodi non solum non exhorruit, sed nec aduertit. Ita de istis valde suspicor, quibus licèt Theatralis lasciuia maximum incendium excitet, se tamen comburi non sentiant: quia non nouum patiantur ignem, qui in Babylonica fornace semper comburuntur; lege S. Ioannem Chrysostomum *suprà, num.* 130. 746
qui me à iudicij temeritate excusat,

&

& defendit, dum ait; *& quod nocentius est, neque ipsi, qui comburuntur, id ipsum sentiunt*, &c.

Secundò: probatur Conclusio: qui intersunt sine aliqua necessitate huiusmodi Comœdiis, exponunt se periculo probabili; ergo peccant mortaliter. *Vide Discurs. septimum, n.* 408.

747 Tertiò: quia cooperantur peccato histrionum. Ergo pariter peccant. *Vide etiam Discurs.* 8. *n.* 448.

Sexta Conclusio.

748 Assistere, & interesse Comœdiis notabiliter inhonestis, quales sunt, quæ in tertia Conclusione describuntur, ex motiuo delectationis, quæ percipitur non de rebus inhonestis ibi repræsentatis, neque de ipsa repræsentatione, sed solum de modo, seu de nugis, facetiis, iocis, & salibus, quibus obscæna illa repræsentantur, res est valde periculosa, & occasio peccandi mortaliter.

749 Probatur primò authoritate: quia rem esse periculosam dixit Diana *suprà*,

*suprà, num.*242. & iterum *num.*245.
& quidem de periculo saltem probabili est intelligendus; seu de periculo fundato in aliquo graui motiuo: nam periculum leue, nullum esse periculum, prudenter considerauit P. Ioan. de Cardenas *suprà, n.*414.
Secundò, quia ex Conrado *suprà, num.*230. in huiusmodi Comœdiis *periculum animæ solet accidere.* Tertiò, quia Azor *relatus num.*470. dixit, 750
etiam stante præcisione, *rarò deesse peccatum mortale propter hominum fragilitatem.* Tertiò, quia Comitolus *num.*483. absolutè dixit, *lethalem culpam effugere eos, qui audiunt Comœdias impudicas.* Quintò, quia Reginaldus *num.*484. *Eos, qui ob curiositatem quidem solam intersunt, sed coniunctam cum periculo notabili consentiendi, peccare mortaliter.* Sextò, quia Baldellus *num.*489. notat, illas Comœdias esse de numero *valde turpium, & multum excitantium ad res* 751
Venereas, in quibus mulieres interloquuntur: siquidem audire earum voces est multò periculosius vitæ animarum,

rum, quàm sit vita corporum audire sibilum Basilisci. Septimò, quia ex Homobono *num.*608. *Comœdiis turpia, & obscæna referentibus interesse cum delectatione rerum narratarum, vel cum periculo morosæ delectationis, vel alterius grauis peccati, lethalem*
752 *culpam secum inuolvit.*

Ista Conclusio videtur satis probata ex adductis: verum quia multi sunt, qui Theatris etiam obscænissimis liberè intersunt, seseque inculpabiles omnino prædicant, non erit inutile iis, quæ *suprà Discursu septimo, à num.*425. dixi, addere, quæ de spicilegio superfuerunt sequentia.

Aduerto igitur ex Authoribus in præcedente quinta Conclusione alle-
753 gatis, qui præsentiæ nomen in curiositatis nomen permutarunt, nonnullos esse, qui distinguunt quidem modum à curiosa repræsentatione rei turpis, siue à curiositate; sed dicunt, quòd licèt repræsententur turpia, & modus etiam repræsentandi, sit forsitan turpis, adhuc spectatores non peccant mortaliter, si audiant Comœdias

mœdias huiusmodi propter solum motiuum delectationis, ex vana curiositate consurgentis: ita Barbos. *num.*187. Bassæus *num.*240. Diana *num.*242. & Baldellus *num.*493. Qui id, quod alij modum, ipse artificium vocat: & verò Azor. *num.*470. dicit 754
ideo non peccare mortaliter: si delectatio sit tantùm de modo, quia, inquit, *modus est bonus in se*; nimirum nugæ, facetiæ, &c. Idem sentit Vidal. quatenus *sub num.*52. suæ tertiæ Inquisitionis præcitatæ; dicit, risum, & lætitiam in Auditoribus non esse de re turpi repræsentata, sed de artificioso, sagaci, & faceto modo repræsentandi rem illam turpem.

Quoad primos, qui dicunt, dele- 755
ctationem esse de sola repræsentatione, non de rebus repræsentatis, satis in præcedente Conclusione actum est; quatenus vidimus, rem esse periculo obnoxiam, delectari de repræsentatione, & non delectari simul de rebus turpibus repræsentatis: nunc quoad alios disputandum est, & videndum, quare sit idem periculum

culum proximum peccandi mortali-
756 ter; etiamsi spectatores delectentur solùm de modo illo faceto, ridiculo, & iocoso;& ne proprio innitar iudicio,placet hîc non solùm sententiam, sed verba etiam referre doctissimi Patris Suarez.

Hic nimirum *in 1. 2. Sancti Thomæ tract. 5. disp. 5. sect. 7. num. 7.* examinat doctrinam Caietani *in summ.*
757 *verb. Delectatio morosa, vers. Secundum, an delectatio sit, &c.* dicentis, quòd si delectatio sit non de opere malo cogitato, sed de modo operandi concogitato, v.g. occurrit cogitatio de furto, & concurrunt multi, & admirabiles modi furandi, vel rapiendi, & delectatio sit de similibus modis; non est delectatio morosa;cum modi isti admirabiles sint, & naturaliter delectabiles cogitanti animæ. Suarez *loco cit.* censet, hanc doctrinam non esse indistinctè admittendam: nam quando inquit; *ille modus est, quid indifferens ad bonum*
758 *opus, & malum, vt si esset sagacitas quædam, & calliditas, quæ per accidens, &*

& quasi in quodam exemplo cogitatur in opere malo: tunc certè delectari de illo modo, non est per se peccatum mortale, dummodo delectatio, quæ propriè est turpis operis, non simul oriatur: si verò modus efficiendi illud opus, quantumcunque sit mirabilis, sit in illo genere, ita proprius, vt sit determinatus 759
ad opus turpe, non video qualiter possit diminuere culpam: nam turpior est delectatio, quæ oritur sic cogitata, quàm si simpliciter cogitaretur: neque potest quis tunc delectari de opere, vt est mirum quid, & non, vt est malum: nam hæc intellectu possunt præscindi aliquo modo; & ideo si delectatio esset de sola cogitatione, haberet id locum: secus verò videtur, si sit de malo cogitato, & de re sub illo modo cogitata: quia 760
modus ille non potest delectare, nisi prout est aliquid ipsius operis: neque parit delectationem alterius rationis à delectatione ipsius operis. Hæc Suarez.

Quæ quidem optimè adaptantur conclusioni, & hypothesi in ea factæ: nam modus ille delectabilis consistit in verbis, gestibus, & nutibus, quibus

761 quibus artificiosè, lepidè,& appositè ad delectandum,repræsentantur turpia : sed quia verba turpia, quibus vtuntur histriones,& gestus,& nutus ita formati, expresse, & ex sua naturali significatione, sunt de se repræsentatiua rerum notabiliter turpium, res est valde periculosa, quòd possit placere solus modus, & non placere simul tota rei turpitudo.

762 Sed esto,quia voluntas auxilio intellectus præcisiui vult solùm delectari de modo, denominetur, verbo tenus illa delectatio volũtaria, quoad modum,& non quoad rem,si modus ipse est adeo annexus; & connexus, &,vt melius dicam, rem turpem ita in se includat, vt nec per intellectum præscindentem proponatur voluntati modus,quin simul proponatur turpitudo rei, cuius est modus,vix potest,
763 moraliter loquendo, esse delectatio de modo, quin sit etiam de re ipsa. Difficultatem exemplo illustro.

Anno superiore in nobilissima Italiæ Vrbe, cuius nomen honoris gratia supprimo, histriones quidam venales,

venales, postquam per aliquot dies 764
Comœdias non adeo turpes repræsentarunt (hæc est enim illorum calliditas, interdum non esse ita obscænos, vt possint aliquando esse impudentissimi) tandem in scæna, omnibus videntibus, mulierem dormientem, sed profundo somno consternatam, iacentémque in lecto, comparere fecerunt : hæc nimirum toto cor- 765
pore nuda (proh nefas) tenuissimo velamine, pro sindone, vtebatur. Fuerit ex. gr. in isto casu raptus puellæ à matre per lænonem suasus : sed hic, vt Amasium doceret, quomodo matre, nec vidente, nec audiente, posset puella, de domo matris rapta, fugere noctis tempore, voluit, vt bene soporatam fœminam videret in lecto, etiam de loco ad locum translato, penè mortuam, & sepultam, nullo strepitu, nullóque fragore expergisci, sed se ipsam toto corpore volvere, 766
circumvolvere, subvolvere, & revolvere; non tamen vnquam excitari. In hac scena, rei turpitudo fuit, corpus nudatæ mulieris spectatoribus exhibere

exhibere videndum ; modus,ad excitandum risum , & plausum fuerunt sopitæ huius mulieris somnus profundissimus , & motus incompositi: præscindat ,si potest, acutissimus intellectus ab hac turpitudine rei, modum excogitatum ad excitandum ri-
767 sum : certè est adeo connexus turpitudini , vt corporis nudati reuolutiones sine turpitudine , intellectus ipse vix concipere , aut præscindere valeat.

Vide-sis, quàm sit difficile, cogitationem morosam non adesse in voluntate,quæ liberè, & non sine peccato eligit ex motiuo recreationis,
768 assistentiam Comœdiarum huiusmodi ; & delectationem quoad modum, non sine magna difficultate separabilem à delectatione rei. Ergo res est valde periculosa.

Dicet fortasse aliquis ; quia fieri potest , quòd histriones modum huiusmodi delectabilem constituant in
769 cantu : & cantantes, cum Musica repræsentent res obscænas , vt delectent ; in hoc casu cùm modus sit bonus,

bonus, vel saltem indifferens, licitum erit, assistere huiusmodi Comœdiis, & delectari Musica, absque peccato mortali.

Respondeo; si histriones cantent notas Musicales vt, re, mi, fa, sol, la, &c. concedo, spectatores non peccare: Si verò histriones verba, aut facta significantia res huiusmodi turpes, vt dicitur in Conclusione, repræsentent, redit idem argumentum: & ratio est, quia vt loquitur Suarez, 770
tunc modus iste *est aliquid ipsius operis:* continet enim, & includit verba turpia, quæ obscænitatem in animis spectatorum imprimunt, qua principaliter delectantur. Quòd verò hac obscænitate principaliter gaudeant spectatores, ex eo manifestè concluditur, quia si notas tantum musicales cantarent histriones, sine verbis; aut pauci, aut nulli adessent specta- 771
tores.

Confirmatur Conclusio, ex eo, quòd delectatio morosa de re Venerea est in omnium Theologorum sententia peccatum mortale: quic-

quid sit de delectatione morosa circa alias materias: hanc tamen communem sententiam non omnes eodem modo defendunt. Vide quæ ex quo-
772 dam Recentiore retuli *Discurs.5. in primo, & secundo supposito:* quibus addo Arriagam *tom.3. Cursus Theol. disp.47. sect.3. subsect.2. num.*10. hic enim cohærenter ad illam doctrinam, probat triplici motiuo delectationem morosam de re Venerea, esse peccatum. Primò, quia hæc delectatio habet annexos motus carnis. Secundò, quia affert periculum consensus; & tertiò, quia præiudicat matrimonio; cum igitur interesse Comœdiis notabiliter inhonestis, etiam ex motiuo se tantùm delectandi de
773 iocis, & salibus, afferat secum periculum excitandi aliquam delectationem, sequitur, rem esse valde periculosam. Iuuat hîc exemplum ad hoc periculum declarandum, afferre; Propinat aliquis Petro potionem venenatam, aureo vase contentam, & gustui gratissimam. Petrus sciens, & volens bibit, cum voluntate tamen

præ

præcisa, quòd venenum non vult, sed solùm aureo crateri apponere labia, & dulcedinem illam solummodo gustare: bibit incautè venenum, quod nolebat, & moritur. Quis non dixerit, Petrum sibi ipsi mortem intulisse, etiamsi venenum bibere recusauerit? Fallor, nisi hunc casum Tertull. respexerit; quando *sub num.* 83. suprà relatus dicebat; *sint dulcia licèt, & grata, & simplicia honesta quadam*, &c. *Stillicidia mellis de libacunculo venenato, histriones propinare*, &c.

Lege, & diligenter considera totum illud Tertulliani fragmentum 774
ex lib. de spect. desumptum, num. 83. & non pigebit. Sed efficaciori, & seueriori stylo expende perorantem Diuum Ioannem Chrysostomum *sub num.* 119. à me citatum, & videbis contra scurrilitatem, seu modum istum facetum, & ridiculum, artificiosè coniunctum cum rei turpitudine, & obscænitate acerrimè ipsum 775
indignari, & excandescere, spectatorésque ipsos in risum effusos concitare contra histriones, vt potius illos

lapidibus exagitent, & obruant, quam risu, & plausu commendent.

Fugiant ergo Christiani spectatores Comœdias illas, quæ ex solo
77 capite excusantur, quòd argumentum notabiliter turpe, & obscænum licèt contineant, attamen in modo, & artificio habent iocos, & sales, quibus placeant, & delectent: hæc enim vt vidimus, est abominatio illa, quam vidit Diuus Ioannes Apoc. *cap.* 17. 2. sub imagine mulieris vitiosæ, scili-
777 cet voluptatis, quæ de aureo calice manibus gestato, immundam potionem voluptuariis hominibus offert, & propinat.

Septima Conclusio.

Assistentes Theatro notabiliter obscæno, & ad Venerem prouocante,
778 dictis, vel factis per nutus, & gestus turpiter expressis, neminem inuenio, qui excuset à peccato mortali.

Probatur Conclusio, quia omnes Authores, qui supposita voluntate præcisa delectandi se tantùm de

modo,

modo, de iocis, de vana recreatione, & similibus, in tantum dicunt, delectationẽ huiusmodi non esse mortaliter peccaminosam, in quantum 779
spectata natura talis obiecti, ad quod terminat delectatio, non inuenitur in hoc obiecto grauis, aut notabilis turpitudo, quæ notabilem, vel grauem malitiam refundat in actum. Ergo omnes huiusmodi Authores, inter quos primum in ordine inuenio P. Azorium, quem postea Sanch. 780
& alij recentiores sequuntur, intelligendi sunt non practicè, sed speculatiuè; ideo Azor. *suprà relatus n.* 470. dixit, *quia modus est bonus in se*: & Sanchez *in summ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. reddens rationem, quare talis delectatio non sit mortaliter peccaminosa, dixit, *quia tunc voluntas non delectatur de malo, vt malum est, sed* 781
de aliqua boni ratione in peccato inuenta; nempe de curiosa, & subtili inuentione, &c. & n. 5. *Tunc enim ea delectatio versatur circa rem quatenus miram, & raram, &c.* eodem modo loquitur Lessius *lib.* 4. *de virtut. c.* 3.

*num.*108. & Fagund. *lib.*9. *in Decal.*
782 *cap.*1. *num.*18. ait, *obiectum delectationis huius cogitationis est speculatio, seu potius cogitatio quædam noua, mira subtilis,& ingeniosa; in qua subtilitate nullum est peccatum.*

Et doctissimus P. de Cardenas *tract.*5. *disp.*42.*cap.*7. *art.*2. *num.*90. & *art.*3. *num.*91. probat prædictos Authores, qui concedunt, delectatio-
783 nem de modo, de iocis, &c. non potuisse aliud intendere, nec probare, quàm cogitationem merè speculatiuam, quæ est obiectum delectationis esse licitam, *quæ*, inquit, *cogitatio requiritur ad studendum, audiendum Confessiones, &c.* quibus exemplis, constat hunc Authorem longè abesse ab illis, qui dicunt, huiusmodi cogitationem esse licitam, ob vanam
784 quandam curiositatem. Immò *n.*89. aduertit, ipsam cogitationem speculatiuam posse aliquando transire in cogitationem practicam, & tunc ratione periculi probabilis, esse omnino illicitam.

Secundò: probatur Conclusio; quia

quia omnes prædicti Authores dicunt, quidem licere interesse Comœdiis notabiliter obscænis, cum voluntate præcisa delectandi se, non de obscænitate, sed de iocis, modo, &c. at verò semper loquuntur cum conditione, si non adsit periculum probabile consensus in delectationem de ipsa rei turpitudine, & obscænitate: recognoscat illos diligens Lector iuxta numeros suprà allegatos *n.*340. 785
786 & meritò ita loquuntur, quia cognitio, quam suggerit obscænum Theatrum, non est speculatiua, sed practica: non enim histriones repræsentant obiectum turpe, vt doceant naturam obscænitatis, ad effectum causandi notitiam, & sistendi in ea ad scientiam eius comparandam; sed ad effectum excitandi in spectatoribus delectationem: hanc enim intendunt 787
histriones: ideo meritò dixit Minutius Felix suprà num. 91. *Histrio, amorem dum fingit infligit.* Diuus Cyprianus n. 101. *Christianus discit facere, dum consuescit videre.* Lactantius n. 104. *Docent histriones adulteria, dum fingunt.*

gunt. Et Chryſoſtomus *num*.129. in hunc ſenſum dixit, quòd Theatrum
788 *eſt adulterij meditatio : fornicationis gymnaſium ; intemperantiæ ſchola ; & turpitudinis exhortatio*.

At verò, ex hac practica cogitatione, excitatur natura in ſpectatoribus ad commotionem ſpirituum generationi inſeruientium : quod probat ipſe P. de Cardenas *loc. cit.*
789 *n*.92. conſiderans, quòd inſtrumentum generationis humanæ ſunt ipſi ſpiritus commoti : & quòd ceſſante practica cognitione, & appetitione obiecti Venerei, non eſſet intra corpus humanum cauſa, quæ illos excitaret,ad inchoandam, & promouendam per ſe generationem. Ideo hac ratione conſiderata, quæ non eſt leuis, ſed grauis ; P.Tambur. *lib*.10.
790 *in Decal.cap*.1.*num*.8. dixit;*difficultas eſt,ſi ſit imaginatio, vel cogitatio intellectualis in rebus obſcænis, ſolùm ob delectationem, quæ ipſa imaginatione ſentitur, ibique perſiſtat, an ſit peccatum mortale ? & aſſero, eſſe ſemper peccatum mortale.*

Ergo,

Ergo, si talis cogitatio esset purè speculatiua, cum re vera sit practica, & rationes graues suadeant, ex ea 791
periculum probabile creari, sequitur esse peccatum mortale: Vide dictum P. de Cardenas *lib.16.n.89.*

Rogabis, quid faciendum ab illis spectatoribus, qui nescientes notabilem, & periculosam Theatri obscænitatem, bona fide, & periculum huiusmodi ignorantes, accesserunt; si illi, qui scientes, & volentes periculum probabile, peccant mortaliter, 792
ex eo quòd ament periculum probabile lapsus in mortale?

Respondeo cum Caietan. suprà n.207. *Si ex Theatro non possint exire, imitentur, inquit, Alipium, claudendo oculos*; & quantùm possunt, reluctentur.

Tertiò: probatur Conclusio ex Discursu septimo, in quo probatur 793
adesse peccatum mortale ratione periculi probabilis; & ex Discursu octauo, in quo idem conuincitur ratione coöperationis cum peccato mortali histrionum.

Octaua Conclusio.

Comœdiis huiuſmodi,vt in tertia
794 Concluſione dictum eſt Clericis, & Eccleſiaſticis, præſertim verò Regularibus non licet aſſiſtere, & intereſſe: quòd ſi interſint, peccant mortaliter.

Duas partes habet Concluſio;Prima eſt,non licere; ſecunda, peccare mortaliter.

Probatur prima pars; quia id non licet laicis, vt quinta Concluſione
795 probatum eſt; ergo multò minus licebit Clericis, & Eccleſiaſticis,qui ratione ſtatus, in quo ſunt magis tenentur quàm laici obedire prohibitionibus à ſuperiore legitimè factis. Prohibentur autem intereſſe huiuſmodi Comœdiis à ſacris Canonibus,*cap.Non oportet,2.de conſecr. diſt.5.* & *cap.Clerici,de vit. & honeſt. Cler.*& Regulares à propriis regulis,
796 & conſtitutionibus,& ab obligatione per votum emiſſum caſtitatis contracta: hæc enim virtus maximè pericli

periclitatur in Theatro, quod ex Tertulliano n.72. *Sacrarium Veneris est*, & num.75. *Priuatum impudicitiæ consistorium*. Ex Chrysostomo n.129. *Fornicationis gymnasium, & inhonestatis exemplar.* Ex Salviano num.146. *Fornicationum imago.* Et quidem de 797
Ecclesiasticis omnibus, qui sacro Subdiaconatus Ordine sunt initiati, & Regularibus professis, qui voto tenentur castitatis: res videtur certa, vt monet etiam Lezana, relatus *num.*202.

Secunda pars probatur, primò authoritate Caiet.*num.*248.dicentis, illorum peccatum esse grauissimum: at peccatum grauissimum est mortale. Zecchij *num.*177.Regin.*num.*485. & ratione conuincitur: tum quia prohibitio est expressa, & est in materia graui; ergo trangressio est mor- 798
talis. Vide quæ ex professo disputaui *suprà*, *Discursu* 10. tum quia ipsi Ecclesiastici cooperantur peccato mortali histrionum; ergo peccant sicut alij, & multò magis. Vide *Discurs.*9. *num.*503.

Nona

799 *Nona Conclusio.*

Principes,& Magiſtratus, qui approbant, aut permittunt, recitari ſupradictas Comœdias valde obſcænas,peccant mortaliter.

Probatur hæc Concluſio toto *Diſcurſu* 10. vide illum, & ibi rationem contra P.Baldellum,quòd Principi nunquam occurrit aliquod maius malum, ad quod vitandum liceat
800 permittere, etiam ad breue tempus, huiuſmodi Comœdias;tanquam minus malum.

Probatur etiam à P. Alberto de Albertis mira eruditione, cui me plenè ſubſcribo. Interim nolo ſequentia motiua diſſimulare, quæ vel breuiter inſinuata, magnam vim faciunt.

801 Sed primùm pro fundamento ſuppono, quod ad Principem laicum primo pertinet inuigilare, & impedire, ne hiſtriones obſcænitatibus huiuſmodi Populorum mores contaminent,& peruertant;& ideo pœnis etiam

etiam temporalibus debent illos coërcere; & si opus sit, ab Vrbe expellere, quia ita in iure definitur
l.Congruit,ff.de off.præsid. pœnis autem 803
spiritualibus eosdem cogere, pertinet ad Prælatum Ecclesiasticum, qui Principem laicum coadiuuare debet, vt notaui ex Menoch.*n.*654.

Suppono secundò vtrumque Principem, Ecclesiasticum, & laicum grauiter, & in conscientia teneri attendere, & prouidere, ne introducantur peccata, præsertim publica, & alia, quæ ad peccandum facile inducunt. Sed maiorem obligationem 804
esse in Principe laico, quàm in Ecclesiastico, sequente decima Conclusione declarabo: Interim ad probandam præsentem nonam Conclusionem, vtor authoritate Apostoli *ex epist. ad Hebr. cap.*13.17. dicentis: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*;
& licèt hoc loco Apostolus directè 805
præscribat subditis obligationem, quam habent obediendi Superioribus;

bus; indirectè tamen inculcat obligationem, quam habent Prælati, non ſolum Eccleſiaſtici, ſed etiam laici Principes, & Magiſtratus inuigilandi ſaluti ſubditorum: ipſi enim peruigilant, quaſi, id eſt, verè rationem reddituri: ideo S. Ioannes Chryſoſtomus
806 in hunc locum ait: *Audiant etiam iȷ, qui regunt, & gerunt Magiſtratus, non ſolum iȷ, qui ab iis reguntur, &c.* & paulo poſt, hanc in Principibus grauiſſimam obligationem expendens, ait: *Miror, an fieri poſſit, vt aliquis ex rectoribus ſalvetur.* Antea dixerat *omnium, quos regis, mulierum, & virorum, & puerorum à te reddenda eſt ra-*
807 *tio, &c.* His poſitis, probatur concluſio.

Primò; quia hiſtriones repræſentantes comœdias notabiliter obſcænas, vtplurimùm ſentiunt, & experiuntur in ſe ipſis, & eis placent libidines, quas conantur ita exprimere, vt placeant ſpectatoribus. Ergo committunt ipſi plura peccata mortalia; ergo Principes, & Magiſtratus, qui vel approbant, vel non impediunt,

diunt,cum facilè possint, denegando licentiam, tenentur de ipsis Deo rationem reddere. 808

Secundò, spectatores, qui huiusmodi comœdias audiunt,vt delectentur de rebus, & gestibus obscœnis, peccant mortaliter;vt cum communi Doctorum Catholicorum sententia dixi in quarta Conclusione; ergo Principes, & Magistratus de istis tenentur Deo rationem reddere.

Tertiò;quia spectatores, licèt non 809
de rebus,& gestibus obscænis, sed de modo, intendant se delectare, quia cooperantur histrionibus in eorum peccato mortali, peccant & ipsi mortaliter, vt dixi *Discursu* 8. & in dicta quarta Conclusione; ergo de ipsis etiam tenentur rationem reddere Deo.

Quartò; quia multi sunt, vel ita 810
procliues ad Venerem, vel ita debiles, & in virtute infirmi, vt non solùm remota, sed minima etiam irritamenta sufficiant, vt vel opere, vel desiderio mortaliter peccent; quia D.Cypriano admonente n.102. *Cum*

mens

mens hominis ad vitia ipsa ducatur, sibi quid faciet, si habuerit exempla naturæ corporis lubricæ? quæ sponte
811 *corruit, quid faciet impulsa?* & de istis huiusmodi peccatis tenentur Principes, & Magistratus rationem reddere.

Quintò; quia multi adolescentes, & iuuenes sunt, qui licèt habeant genitores, ad quos ex officio spectat impedire, ne obscænis comœdiis intersint; quia tamen genitores, aut nolunt, eo quòd, & ipsi etiam Theatrum
812 frequentant; aut non possunt, quia authoritas publica iustificat Theatrum, alioquin illicitum, vel vt S. Cyprianus *num.* 92. citatus loquitur: *Lenocinante ad vitia publicæ honestatis malo:* & num. 94. *Nec deest probri blandientis authoritas, &c.* ex his sequitur, quòd, qui modesti, & continentes ad Theatrum accesserant, mox ab eo reuertantur domum, impudentia pleni, & libidine accensi:
813 hinc procedunt inobedientiæ, & contemptus contra maiores, rei domesticæ expilatio, cum fœminis histrio

histrionicis continua, & vitiosa consuetudo, immoderatæ expensæ: & exinde furta domestica,& latrocinia, infirmitates,morbi insanabiles,rixæ, iurgia,& totius rei familiaris perturbatio.Sed,& horum omnium grauissimorum scelerum Principes, & Ma- 814
gistratus, Deo rationem reddere tenentur.

Sextò; quia hodie comparent in scena veræ mulieres comptæ, calamistratæ,lasciuientes,& vtplurimum fornicariæ (honestæ enim vix scenam ascendunt) hæ verbis lænocinantibus plures captiuos efficiunt: nam D.Augustino *in Psalm.*59. teste. *Mulier de longè,libido propè*, & Diuo Chrysóstomo hom.3.in Isa. *Ignis con-* 815
cupiscentiæ simul atque per intuitum elegantem attigerit formam, protinus exurit animum;& D.Cypriano n.97. relato: *Amat dum spectat*; & eodem D.Chrysostomo n.133. *David scortum non vidit, sed honestam fœminam, idque non in Theatro,sed domi;Tu verò in Theatro cernis, vbi etiam locus ipse animam supplicij ream efficit;nec tan-*

tum

tum cernis, sed etiam audis improba
816 *verba, & meretricias, atque obscænas*
cantiones, omnique ex parte feritur
mens tua, &c. Sed & tot malorum
Principes, & Magistratus Deo ratio-
nem reddere tenentur.

Audiant ergo, intelligant, & eru-
diantur omnes, qui iudicant terram,
diligentérque considerent, quòd Pla-
to insania notabat illum Principem,
qui histrionum acta permitteret re-
817 citari, antequam à deputatis recogno-
scerentur *num.*655. quòd Aristoteles
num. 618. huiusmodi obscænitates
longè ab Vrbe volebat exterminari;
quòd inter Canonistas Menochius
*num.*654. à Ciuitate dixit expelli de-
bere. Inter Theologos Zecchius
*num.*178. Ribera *num.*163. P. Baldellus
*num.*499. Thomas Tamburinus *n.*545.
819 & P. Albertus *n.*538. omnes vnani-
miter in eodem voto conueniunt, vt
Principes graui obligatione tenean-
tur, aut histriones non recipere, aut
receptos ablegare; & inter recentio-
res Sanctos S. Carolus Borromæus
in Concilio Prouinciali, num. 160.

omnes

omnes Principes commonet, vt eosdem histriones, quos de genere perditorum hominum vocat, à suis finibus eiiciant. Caueant ergo quicunque tenentur ex officio, ne tot sa- 819
pientissimorum virorum iudicium contemnant, aut ne contra se malè iudicantes, ipsi Diuinum iudicium irreparabiliter incurrant.

Decima Conclusio.

Episcopus rectè faceret, & muneri suo satisfaceret, si venales histriones suo edicto, & pœnis spiritualibus co 820
geret, ad non recitandas comœdias, nisi prius essent à deputatis, vel à se, vel à Principe laico recognitæ, & approbatæ.

Antequam probem præsentē conclusionem, occurrendum est cuidam dicenti, cur contra Principem laicum adeo rigidam posuerim conclusionem, qualis est Nona, & contra Episcopum adeo remissam, vt nullam grauem obligationem imponam: præ- 821
sertim, quia vtriusque non leuem

obliga

obligationem esse pronuntiauerim in præmissa explicatione nonæ conclusionis.

Pro responsione aduerto, histrionum causam esse, non solùm mixti fori, vt prænotaui iam cum Menochio *num.654.* sed esse causam mix-
822 tam: hæc enim duo esse causam mixti fori, & mixtam, valde distinguantur inter se, licet, vt Sperellus notauit *in decis.for.Eccles.decis.9.n.*18. ab aliquibus malè confundantur: causa enim mixti fori est, quando persona est sæcularis, & pœna est à iure Canonico imposita: & tunc vterque iudex aduersus laicos procedere potest, & locus est præuentioni: at verò causa mixta est, quando aliquid vtroque iure prohibitum
823 est, vt notant omnes Doctores *in cap. Cum sit generale, de for. compet.* & causæ mixtæ illa est natura; vt Iudex Ecclesiasticus contra Ecclesiasticos, & laicus contra laicos procedat iuxta communem opinionem, de qua Nauar. *in cap.Nouit de iudic. notab.6.num.4. vers.Huius exactæ,* & Sperellus *ibid.*

Quòd verò à iure ciuili damnentur histriones, pluribus probat Menochius *lib.2.de arbitr.caſ.69. à n.18.* ſed præſertim iudici laico committitur, vt eos à Prouincia, & toto hominum commercio longè remoueat, *l. Congruit, ff. de off. præſid.* At verò Prælato Eccleſiaſtico, Sacri Canones licèt aduertant, vt deneget Sacramenta *cap. Pro dilectione, de conſecr. diſt.2.* vt ad ſacros Ordines non admittat, *cap. Aliquantos, diſt.51.* vt infames exiſtimet, *cap. Omnis verò, 6. quæſt.1.* at verò nunquam imponunt, quòd contra histriones pœna aliqua corporali, ſiue pecuniaria procedat: imò, vt notauit Franciſcus Marcus *part.2. deciſ.123. num.8.* & repetit Menochius *loc.cit. num.34.* delictum mixti fori non debet puniri, niſi à Iudice laico pœna temporali. Rectè tamen aduertit Menoch. cum multis, quos congerit *d. n.34.* ob negligentiam Iudicis ſæcularis, non punientis histriones, poſſe Epiſcopum, contra eoſdem pœnam temporalem indicere. En igitur cauſa, quare in hac decima

824 825 826

decima Conclusione, adeo moderatè, cum Episcopis procedam; licèt graui obligatione dixerim Episcopos etiam teneri vigilare, ne mali huiusmodi homines perditis moribus
827 commissum sibi corrumpant ouile.

Probo nunc conclusionem positam: quia ita sanctus Carolus Borromæus obseruauit: ex eo enim quod in decreto habito in suo primo Prouinciali Concilio, de quo *sub n.* 160. non minori prudentia, quàm modestia Principem, & Magistratum admonuisset, vt perditos huiusmodi,
828 siue, vt ipse loquitur; malos homines longè remoueret à Prouincia, adeo illorum Principis, & Magistratuum animos, iustitiæ & veritatis amantes obstrinxit, vt licèt licentiam quibusdam histrionibus liberam iam dedisset Religiosus Princeps, considerato tam Sancto Decreto, eandem licentiam iam præconcessam, ita temperauit, vt penè revocaverit, quia subordinatam esse voluit S. Archie-
829 piscopo Cardinali, & ab eodem declarauit, esse limitandam: id quod fecit

fecit S. Carolus mandans illis, vt comœdias non recitarent, nisi iuxta modestiæ regulas à S. Thoma præscriptas, & à Ministris à se ipso deputatis præuisas, & recognitas: quæ omnia apparent ex *dicto num.* 160. & rursus ex alio *n.* 166.

Quod si Episcopus in aliquo casu viderit, admonitionem Pastoralem esse inutilem; quia histriones præ- 830
occupato fauore alicuius personæ magnæ authoritatis, vt solet contingere, adhuc spreta Episcopi exhortatione, velint obscænissima sua spectacula exhibere, non sine magna Dei offensa, & populi, præsertim verò iuventutis spirituali detrimento, quod prudenter Episcopus iudicabit; poterit per censuras histriones compellere, vt abstineant, & comœdias,
non nisi recognitas, & à se probatas 831
recitent: quia vt bene, & in terminis sentit Menochius *loc. cit. num.* 33. cum multis, quos congerit, laicus ratione peccati efficitur de foro Episcopi *cap. Nouit. de indic.* vbi Barbos. *in collect. num.* 5. & *de off. & potest. Ep. part.*

part. 3. *alleg.* 82. *num.* 17. Gratian. *discept. for. cap.* 154. *num.* 25. notat, quòd cognitio peccati spectat ad so-
832 lum Iudicem Ecclesiasticum; & non tantùm post commissum peccatum, sed etiam antequam committatur, ad effectum, vt euitetur; quod *dicto n.* 5. firmat cum Host. Abb. & Bellet. etiamsi agatur de peccato veniali, cum Alciat. Surdo, & se ipso *part.* 1. *tit.* 3. *c.* 2. *n.* 97. 98. *&* 99.

Rectè ergo Episcopus faceret, si venales histriones suo edicto, & pœnis spiritualibus cogeret.

833 Laudarem tamen, quod Episcopus prius votum audiret à Sacra Congregatione, ne sine assistentia supremæ Pontificiæ authoritatis, perditi homines, histriones inquam protecti à laicis, contumaces euaderent, cum spretu censurarum, & Episcopalis etiam authoritatis dedecore.

834 *Vndecima Conclusio.*

Comœdiæ nostri temporis, in quibus prædicta notabiliter turpia re-

præ

præsentantur, magis prouocant ad Venerem, tum Actores, tum spectatores, quàm illæ, quas Ethnici, & alij priscis temporibus agebant: ideo etiam maiorem præbent occasionem scandali.

Probatur conclusio, si enim, vt ex- 835
perientia docet, & Sapientissimus Siracides aduertit, duo sunt, quæ ex muliere iacula venenata aduersus salutem animarum intorquentur à diabolo, *pulchritudo*, inquit Hugo Victor. lib. de carnal. nuptiis vitan. *Meretricis, quæ inflammat carnem; & blandimentum lenocinantis sermonis, quod subuertit mentem*; meritò de 836
vtroque admonet dicens Ecclesiast. c. 9. 11. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius, quasi ignis exardescit.*

At in Theatro nemo est, qui ignoret, vtramque sagittam aduersus malè cautos Actores, & spectatores eiaculari: nam Comicæ mulieres, quæ, vt plurimùm, sunt meretrices comptæ, in scena comparent, fucata facie, gemmis, & toto mundo muliebri,

O tanquam

837 tanquam diaboli pompa onustæ: & quod summum est malorum, cum parasitis,lænonibus, & amasiis colloquuntur, de omni turpitudine; quam etiam inhonestis actibus, vt audio,non verentur petulanter exprimere;ideo ait S.Augustinus vt *n.*135. adnotaui, hac arte, si qui fortè de manu diaboli fugerant; *ipse muscipulam spectaculorum proponit, vt capiat,*
838 *quos amiserat.* Quæ omnia si antiquis illis temporibus omni vituperatione digna erant, vt meritò Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Salvianus, & alij irato calamo scriberent; quid modo dicerent, si viderent in scena non imaginarias fœminas; non viros euiratos, non Pantomimos, sed veras procacissimas fœminas, quæ non laruata facie, sed im-
839 pudentissima fronte, omnem in audientium animos lasciuiam infundere conantur?

Quòd verò primis illis temporibus non veræ, sed mentitæ mulieres in spectaculis apparerent,testes omni exceptione maiores produco, Tertullia

tullianum *num.*75. dicentem, quòd *Pantomimus sexum pudoris exterminat*, D. Cyprianum num.92. & 95. *Quòd diabolo diuinum plasma maculanti, per corrupti, atque eneruati cor-* 840
poris delicta placebant. D.Gregorium Nazianzenum num.108. *Quòd simul sunt fœmina, & simul mares.* D.Cyrillum Hierosolymitanum num. 111. *Mimorum petulantias, omni contumelia, & impudicitia refertas, & virorum effœminatorum choreas.* D. Hieronymum num. 117. *Non ambulet iuxta te histrio fractus in fœminam.* D.Chrysostomum num.126. *Adolescens comam pone reductam habet, & naturam* 841
aspectu, vestitu, incessu, cæterisque huiusmodi effœminando, ad teneriuscula imaginem puellæ adducere contendit. Et quidam Cecchinus patria Ferrarien. famosus histrio, & histrionum Antesignanus in libro, quem pro honestis histrionibus edidit anno 1616. asserit consuetudinem iam suo tempore receptam, quòd mulieres 842
veræ Theatrum exercerent, præualuisse ab annis minus quinquaginta:

 ita

itaque hæc dum ſcribo eſſent iam anni centum elapſi poſtquam tam perniciosus abuſus invaluit.

His præſuppoſitis, & huius veritatis tot,tantiſque teſtibus adhibitis, probat plenè, & efficaciter præſentem Concluſionem P. Franciſcus
843 Ribera *num.*162.quatenus enixis verbis deplorat calamitates præſentis temporis,in quo veræ mulieres agunt in ſcena, *Vt maiora*,inquit,*excitentur incendia*. Lege illum,& videbis concluſionem euidente diſcurſu comprobatam.

Obiicit contra P. Thomas Hurtado *num.*554. quòd hiſtriones antiqui in publico Theatro commiſcebantur, & alia iniqua opera exerce-
844 bant, & ideo Patres, & Concilia, tam ſeuerè eos execrantur, & reprehendunt.

Sed Hurtadus non videtur ſatis conſideraſſe antiquum illum morem, quòd veræ fœminæ non recitarent: nam facilè intellexiſſet huiuſmodi commixtionem non fuiſſe veram,ſed fictam,&,vt loquitur Sanctus Augu-
ſtinus

ſtinus *num.*136. imaginariam ; & D. Cyprianus *num.*103. licet deſcri-
bat virum intra virum iacentem,non 845
tamen reprehendit hunc actum ſub nomine commixtionis , ſed ſolummodo tanquam inhoneſtum amplexum duorum ſe inuicem implicantium ; quòd ſi Sancti Patres tam rigidè indignantur, contra huiuſmodi flagitia,inter virum, & virum attentata : quid quæſo dicerent hodie,
quando in publicis Theatris , cum 846
approbatione Principum , ſaltem tacita, his ſimilia viderent, & quod, cum veris fœminis, grauiora ſcelera, ſi non complentur , vt audio, ſaltem ita inchoantur , clam perpetranda, vt verum ſit , quòd olim dicebat Minutius Fœlix num.91. *Mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat : nunc eneruis histrio amorem dum fingit , infligit,&c.* niſi quia quòd tunc mimus,
vel eneruis hiſtrio fingebat , agit 847
nunc mulier fornicaria, vt ſpectatores magis delectentur , & in iſtis maiora libidinis ſtimulent irritamenta.

Supereſt, vt pro maiore huius Concluſionis confirmatione animadvertam, quòd mulieres, ſcenicæ dictæ, quarum frequentiſſima eſt apud Authores mentio, & ego vnius memini *ſuprà*, *num.* 115. & aliarum *num.* 643. non erant Actrices in ſce-
848 na, vt P. Ottonellus facilè credit *in lib. de Christiana moderatione Theatri, cap.* 3. *punct.* 18. *fol. mihi* 106. ſed erant ad lætitiam publicam Theatricis ſpectaculis in ſeruitium mancipatæ.

Duodecima & vltima Concl.

849 Hiſtriones, qui noſtris temporibus artem hiſtrionatus quæſtus cauſa exercent, ſunt illi iidem, contra quos iura omnia, tam Ciuilia, quàm Canonica procedant.

Probatur, quia vt Iacob. Menoch. *ſuprà, num.* 654. ait. Ius Canonicum, & ciuile non damnat, niſi hiſtriones illos, qui turpia, & inhoneſta populo exhibent, & recitant; eſt apertus textus, quem retuli *num.* 638. ex *l.* 2.

Quod

Quod ait, §. *ait Prætor, ff.de his, qui* 850
notan. infam. quod *is, qui in scenam prodierit, infamis est*, &c. *Eos enim, qui quæstus causa in certamina descendunt, & omnes propter præmium in scenam prodeuntes, famosos esse Pegasus, & Nerva filius responderunt.* Pegasus sub Tiberio Anno Christi 30. Nerva sub Domitiano Anno 85. floruerunt.

Hæc vero dispositio', quæ est Vl- 851
piani, emanauit Anno post Christum natum 233. & deinde D. Cyprianus, qui paulo post floruit, Anno à Christo nato 246. scribens ad Eucratium *lib.* 1. *epist.* 10. interrogantem, de quodam histrione, an ad Sacramenta Ecclesiæ esset admittendus, negatiuè respondit, his verbis: *Nec Maiestati Diuinæ, nec Euangelicæ congruere, vt pudor, & honor Ecclesiæ, tam turpi,*
& infami contagione fœdetur. Refertur 852
hic textus à Gratiano *in Decreto de consecr. dist.* 2. *cap. Pro dilectione*: vbi Gloss. v. Infam., *Tales enim*, inquit, *infames sunt, ff. de his, qui not. inf. l.* 2. §. *ait Prætor.*

Itaque prima infamiæ nota, qua histriones inuruntur à Sacris Ca-
853 nonibus, est illa eadem, de qua *in pracit. lege 2. Quod ait*; quia nimirum in scenam prodeunt propter lucrum. Innocentius primus Anno Christi 405. in epistola, quæ decima tertia est in Romana editione Pontificiarum Epistolarum, scribens ad Episcopos in Toletana Synodo congregatos, & refertur *in cap. Aliquantos, dist. 51.* statuit, quod ad Clerica-
854 tum non promoueantur, qui *voluptates, & editiones populo celebrarunt.* Gloss. in casu explicans *voluptates, & editiones*, dicit, id est, *histriones, &c.* Deinde Adrianus Primus Papa Anno 786. & refertur *in cap. Omnis verò 6. quæst. 1.* illos omnes infamia Canonica notatos, & secundum Canones, infames esse decernit, qui secundum leges Ciuiles sunt infames; & notauit Sylu. *verb. Infamia, n. 11.* &
855 *in cap. In nomine, de testibus*; vilissimi testes declarantur, & inhabiles ad testificandum in iudicio: sub hoc autem nomine vilissimorum testium, venire

venire histriones, docet Barbos. *in collect. ad dictum, cap. in primis*, & probat ex Mascard. *concl.*1362.*n.*46. vbi cum Bald.*in tract.de test.num.*38. concludit, testes vilissimos, & non integros,esse histriones: quia *in præcit. l.2. Quod ait*, §. *ait Prætor, cum l.sequenti*, & ibi Gloss. *de his, qui not. infam.* declarantur infames, quia in scenam prodeunt quæstus causa. 856

Dices,magnum discrimen esse inter antiquos, & modernos nostri temporis histriones: negari non potest.

Primò: quia illi contra Populi Romani leges repræsentabant Deorum adulteria, incestus, & similia 857
flagitia, quibus Deorum cultum maximè execrandum, & abominabilem faciebant;ideo, vt suprà notaui *n.*63. & *num.*137. & iterum *num.*622. & *num.*628. Sacerdotes Deorum Theatrum impugnabant, At in nostris histrionibus stylus hic non est,cur reprehendatur.

858
Secundò: quia illi histriones in Theatro, Deos suos venerabantur;

at noſtri, licèt Veneris, aliquando, Iouis, &c. impuriſſima crimina repræſentent, non tamen intendunt illos colere tanquam Deos.

Reſpondeo; aliquam differentiam materialem negari non poſſe; at nullam formalem aſſignari poſſe. Dico igitur ad primam differentiam, Sacerdotes illos non ideo Theatro fuiſſe contrarios, quia per Theatrum
859 cultus Deorum minueretur; ſed quia populi bellicoſi robur eneruaretur, & Romani mores contaminarentur à Theatro: & ideo meritò Vlpianus, cuius eſt textus *in l. Quod ait*; etiamſi hiſtriones non eſſent venales, ex eo ſolùm quòd in publicam ſcenam prodirent, voluit, eſſe infames: & ideo Laberius Eques Romanus dolebat, quòd illa die vixiſſet, qua, nulla mercede conductus,
860 ſed ſolùm ab Imperatore iuſſus fuerat prodire in ſcenam, vt *num. 670.* notaui. Quod verò Pegaſus & Nerua requiſierint venalitatem, hoc non eſt accipiendum taxatiuè; quaſi illi ſoli ſint infames; ſed ex maiori præ-

ſumptio-

ſumptione : cum enim ſint auidi pecuniæ , omnem diligentiam adhibent, vt illam à ſpectatoribus extorqueant : & ſic dummodo lucrentur, Theatrum exercent viliſſimis acti- 861
bus, & ingenuo homine indignis.

Ad ſecundam differentiam dicendum eſt,quòd per peccatum mortale, quædam ſpiritualis idololatria committitur,dum homo à Creatore convertitur ad creaturam ; & præſertim hoc in profanis ſpectaculis verificari videtur , ex iis , quæ hactenus dicta ſunt : & maximè ex illis , quæ 862
vehementi , & concitato ſtylo Salvianus *ſuprà, à num.* 147. latè proſequitur.

Itaque Sancto Cypriano atteſtante,quòd hiſtrio in ſcena,verbis valde obſcænis,& actibus,apprimè incompoſitis laudet,& ſuadeat ea,quæ diabolo arrident , & Deo valde diſplicent , cum hæc fiant iuxta conſuetu- 864
dinem Theatri, planè ſequitur,quòd licèt hiſtriones Chriſtiani ſint , & ſolùm vnum , & verum Deum adorent, falſum tamen Numen tanquam

Deum

Deum venerentur, eo modo, quo D. Paul. *ad Philipp. cap.* 3. de intemperantibus dicit: *Quorum Deus venter est*; & ideo veluti idololatriam quandam committant ſpiritualem.

865 Confirmat hanc doctrinam factum, à Surio relatum in vita Sancti Stephani Epiſcopi Dienſis ſub die 7. Septembris: hic nimirum abuſum execrabilem, qui iamdiu in populo ſuo præualuerat, remouere ſatagebat: ſed fruſtra, & inutiliter laborabat: honorem enim, & cultum, quem Deo Optimo Maximo omnes fideles profitentur, & ſeruant in diebus feſtiuis,
866 diabolo dedicabant, quatenus die Dominica exercebantur apud ipſos tabernæ, choreæ, ludi, luxus, & pernicioſa ſpectacula. Inſiſtebat Sanctus Epiſcopus, vt abſtinerent ab huiuſmodi errore, & concionibus, & pluribus argumentis illorum peccatum detegere, & demonſtrare conabatur; quòd cum magna Dei offenſa per Theatrales ludos quantum de cultu,
867 & feſtiuitatis obſeruantia Deo ſubtrahebant, tantum honoris, & cultus diabolo

diabolo tribuebant: at illi magis obcæcati, & pertinaces, in tali perseuerabant errore. Tunc Sanctus Episcopus Diuino zelo repletus, ad aliud remedium animum conuertit, & videns plures esse dæmones, qui populum de hoc scelere perpetrando continuò stimulabant, præcepit eis, vt sine vlla cuiusquam læsione palam
se eis videndos exhiberent, quod 868
subito Diuina virtute factum esse testatur historia; tunc ergo infœlix populus vidit ex improuisò horrenda spectra, dæmones immanes, & procera statura terribiles, turpes, nigros, informes, flammiuomos, ad Sancti viri imperium apparere, voluisse populo nocere; sed Sancto Episcopo prohibente, non potuisse: vidit etiam ab eodem Episcopo eie-
ctos, statim disparuisse, vidit à se 869
illum honorem extorsisse qui soli Deo debebatur; tunc proprio errore detecto, tandem vitam, & mores in melius commutauit.

Ecce quomodo homines Christiani licèt dæmonem non adorent tan-

quam

quam Deum, quia fide credunt, vnum
870 solum Deum esse adorandum; à curiositate tamen, & voluptate Theatri seducti tot dæmones venerantur, quot vitia in Theatro exercent. Sed etiamsi nostri huius temporis histriones venales non essent, vel mercenarij, & artem histrionicam gratis exercerent, adhuc essent omni-
873 no illi, qui à Conciliis, & Sacris Canonibus condemnantur.

Probatur, quia in citato *cap. Pro dilectione, de consecr. dist.* 2. Histrio ille priuatur Sacramentis Ecclesiæ, quia, vt patet ex textu, docebat in arte sua, & instruebat quosdam iuuenes in arte Pantomimica, quæ ex dictis *num.* 77. consistebat in repræsentatione omnium personarum,
874 sed præcipuè mulierum in scena; & patet ex Epistola citata D. Cypriani ad Eucratium, vnde Canon iste desumitur; ibi enim Sanctus Cyprianus totus est in reprehensione artis illius Pantomimicæ, vt videre est, ex fragmento illius Epistolæ *num.* 94. & quia ars huiusmodi exer-

cebatur

cebatur in publico, & docebatur ab 875
illo histrione, infert Sanctus Cyprianus, hunc histrionem non esse admittendum ad Sacramenta, & in hoc sensu Canon, ex epistola illa desumptus, inseritur à Gratiano in decreto, & deinde statim, ex Concilio tertio Carthaginensi *cap.35.* desumitur aliud *cap. Scenicis*; in quo statuitur, quod *histrionibus reuersis ad Dominum, gratia, vel reconciliatio*
non negetur, *seu quod idem sonat*, il- 876
lis Sacramenta restituantur, quia vt ibi Turrecremata dixit, *venia pœnitentibus, non est neganda*: & *in Concilio Arelatensi primo, cap.5.* dicitur, quod histrionibus, quandiu perseuerant in peccato, Sacramenta denegantur, vide *num.*105. & omnes Theologi tractantes supradictos textus, nihil omnino de venalitate considerant; & conueniunt, huiusmodi personis; deneganda esse Sa-
cramenta, ea sola ratione, quia ipsi 877
recitantes comœdias notabiliter obscænas, peccant mortaliter in publico; & pluribus sunt causa peccandi

candi mortaliter. Ita Alens. *num* 232. Zecchius *n*. 179. Emanuel Sà *n*. 471. Megalius *num*. 251. Ægidius Trullenc. *num*. 189. Luvisius Turrianus *num*. 486. Baldellus *num*. 487. Homobonus de Bonis *num*. 607. & alij, qui
888 expresse docent, ita intelligendos esse Sacros Canones; ergo gratis, & contra communem Theologorum sententiam dicunt aliqui, quòd Sacri Canones non loquantur de histrionibus nostri temporis; & quod antiqui histriones differant à modernis.

Obiicies cum Glossa *ad cit. cap.*
889 *Pro dilectione*. Histrionem, de quo Canonistæ loquitur, fuisse non tantùm histrionem, sed simul etiam magum: ideo nihil mirum, quòd illi Sacramenta negentur. Ita Megalius, volens histrionatum excusare. Sed ego perlecta tota, & integra illa sancti Cypriani Epistola ad Eucratium, nec minimum signum magiæ in illo histrione obseruaui: cur ergo diuinet Glossa, vt hunc hominem magum faciat; ratio


non

non apparet; neque ego diuinare 890
debeo, cum satis fuerit sancto Cypriano ad ei deneganda Sacramenta delictum histrionatus, quòd facit, histrionem esse publicum peccatorem.

Et hæc sunt, quæ de hac materia ad vitanda peccata, & plurimas nostri temporis corruptelas moderandas, consideratione digna esse censui, & duodecim prædictis conclusionibus comprehendere volui. Quæ 891
omnia infallibili iudicio S.R.E. submitto, & submissa esse volo.

FINIS.

INDEX



INDEX RERUM.

Omnes numeri sunt marginales.

A

Acto

Baldellus

B

C

Comœ-

Conſenſu

Delecta

D

Eccleſia

E

F

I

causam.

Veniale

Veniale

V

Veniale

FINIS.



